
FORT
HILL

# EMBLEMATA
# MORALIA,

*SCRIPTA*

QUONDAM HISPANICE

*A*

**JOHANNE de BORIA,**

LATINITATE AUTEM DONATA

*A*

**L. C. C. P.**




*BEROLINI*

Sumptibus JOHANN. MICHAEL. RUDIGERI.

Stanno ULRICI LIEBPERTI, Typ. Elector. Anno. cIↄ. Iↄc. XCVII.



# BIBLIOPOLA LECTORI
## S. D.

CUjus Viri tibi, Lector benevole, Emblemata nunc offerimus: illius vix forte nomen antea audisti. Fuit enim JOHANNES ille de BORIA clarus domi, ac Patriæ Regique suo perutilis; amplum namque atque honoratum locum in aula PHILIPPI II. Hispaniarum Regis obtinuit: sed nobis tamen, qui & locorum Regionumque intervallo & moribus, sermoneque ab illis populis quam longissime disjungimur, haud multo magis notus est, quam plerique magni illius gentis viri; quos ne vixisse quidem scimus, quum eorum virtute tantæ regiones sint illustratæ. Adeo angustis terminis illa Virtutis humanæ fama circumcluditur: quam & immortalem & infinitam dicere solemus. Mihi faciendum

proinde

proinde putavi, Lector benevole, ne ſolis Hiſpanis *JOHANNES* ille *de BORIA* laudaretur: præſertim cum & mereri id illius ingenium videretur, meque id facturum cum tuo fructu putarem. Habes ergo hic elegantiſſimas humanorum caſuum & errorum, tum & virtutum & morum magines: quas ille variarum occaſione rerum effinxit. Editus eſt iſte liber quondam Hiſpanice, neque facile in noſtris regionibus invenitur. Sed quum & viſus quibusdam, & inprimis probatus eſſet, atque incidiſſet etiam ante annos aliquot in manus magni cujusdam viri, & cum ſua virtute, generoſaq; majorum fama, (CAMERARII fuerunt) tum Regum exterorum, & Germaniæ Principum amore miniſteriisque illuſtris: ipſe ille in linguam latinam e Caſtellana hunc transfudit. Atque hæc illa eſt verſio: de qua cum confideremus fore, ut & ipſa per ſe tibi placeret; tum id dedimus operam, ut iconiſmis quoque æneis, quam poſſet, nitidiſſimis ſplendeſceret. Atque hoc etiam noſtrum ſtudium te probaturum mihi promitto. Quod ſi facies, addes profecto nobis calcus, reddeſque nos & de te & de communi re literaria bene merendi tanto ſtudioſiores. Vale.



# LECTORI.

*QUanquam Leges, quas recentiores quidam Auctores, de ratione conscribendi Emblemata, in publicum emisérunt, tàm rigidæ sint, quàm ipsis eas condere visum est, dum prioribus Legibus aliqua adjunxérunt atque ex illis, quædam pro beneplacitô sustulérunt, non ideò tamen mihi visæ sunt ad observationem sui, nisi quatenus rationi consentaneæ sunt, quenquam obligare, cùm neque auctoritas neque antiquitas auctorum tanta esse possit, ut non jurare in verba eorum piaculum sit, ipsique Legislatores isti in Emblematibus, quæ edidérunt, eâdem, quâ edixérunt, exactitudine ac rigore Leges suas minimè observaverint. Visum est mihi, de hâc re Lectorem commonefacere, ut, siquidem in hôc opere quædam contra Leges istas admissa notaverit, intelligat, non ideò Leges istas servatas non fuisse, quód ignorentur, sed quòd antiquos imitandos esse hâc in re statuerimus. In declaratione sive Explicatione Emblematum magis laboravimus, ut essemus breves,*

*breves, quàm ut commentarios amplos coacervare instituerimus. Cùm opus alii usui, quàm ut in vicem brevis argumenti ejus, quod unoquôque Emblemate significatur, inserviret, destinatum non fuerit, relictâ commentandi facultate alteri cuidam scriptori aut nobis in aliud tempus reservatâ. Hoc unum adijcere liceat, solere eos, qui de hâc materiâ scribunt, ingenuè profiteri, tantam difficultatem in rectè conficiendô Emblemate & attingendô scopô existere, ut id assequi magis bonæ fortunæ, quàm ulli rei alii tribuendum sit, ac si quidem hoc de Emblemate unô verum sit, extra culpam atque oppidò excusatus erit, qui, dum plura depromit, in unô aliquô impingit. Finis atque intentio nostra fuit, prodesse in aliquô lecturis, cùm materia, quæ tractatur, bonos mores concernat, quos rectè formatos, quàm maximè integros conservari, tanti nostrâ interest.*]



# EMBLEMATA
# MORALIA,

PER

JOANNEM de BORIA.



## I.

# MERUISSE SATIS.

SIcuti Viro Prudenti in ſuâ, quam ſuſtinet, calamitate præcipuo ſolatio eſſe debet, culpâ carere, quamvis pœnam patiatur, cùm maxima culpæ pœna ſit, culpæ eſſe affinem; Ita illud potiſſimùm expendi, atque is nobis labor eſſe debet, ut Virtutis præmia mereri ſtudeamus (id quod per *Coronam Lauream* in hoc Emblemate deſignatur) etiamſi ea non ſemper in hâc vita conſequamur, cùm ipſum Mereri tantùm, præmium ſit ac merces, cujus gratiâ vita ſecundum Virtutem eſt inſtituenda. Ac quod hîc per *Coronam Lauream* atque inſcriptionem Emblematis, MERUISSE SATIS, ſignificatur, id eò tendit, ut quamvis non reponatur gratia ſufficiens præſtitis ſervitiis, pro dignitate & meritis ejus, qui præſtitit, non ideò laborem is merendi præmium illud & Coronam intermittere, ſed ſufficere debeat ei id ipſum, quòd mereatur, cùm hoc omninò partium ipſius & officii ſit, ac in eo præcipuè Voluptatis ſumma conſiſtat, non in fruitione ipsâ præmii ac gratiæ, quam fortè non mereretur. Quantò enim major eſt Honor & gratia facti, tantò quoque major foret infamia, quæ eum maneret, ſi eò conſpectior in eo appareret defectus meriti, ad obtinendum locum, in quo collocatus fuerit.



*Præmia Virtuti ſi debita fortè negantur,*
*Nolito iraſci, ſit meruiſſe ſatis.*

II.

# AUT MULTUM, AUT NIHIL.

CUm inertiâ & tepore facere id, quod unicuique faciendum incumbit, fons eſt, ex quo eventûs, ruinam ac perditionem ſecum attrahentes promanant, nec commodiùs iniri poteſt ratio, atque æſtimatio fieri magnitudinis damni indè provenientis, quàm ſi pro certô habeatur, in pejori ſtatu eſſe ea, quæ tepidè, quàm quæ frigidè fiunt, cùm ſine dubiô multò pejus ac inconveniens magis ſit, procedere languidè atque remiſsè in iis, quæ ſuſcipiuntur, quàm ea prorsùs non attingere. Id hoc Emblemate ſignificatur, in quo Teſtudo repræſentatur cum inſcriptione; AUT MULTUM, AUT NIHIL. De illâ enim memoratur, quòd, ſiquidem parùm ex carne ejus ſive Medicinæ ſive victûs gratiâ comedatur, id noceat; ſin multùm aſſumatur, proficiat. Id ipſum de Actionibus noſtris prædicatur, ſi nempe ſuſceptæ atque inſtitutæ fuerint cum calore, ac fortiter expeditæ, magno eas futuras eſſe uſui, neque unquam deſtitutas iri felici ſucceſſu; ſin verò cum remiſſione ac tepidè geſtæ fuerint, magnoperè fore damnoſas. Cùm extra controverſiam melius eſſet, illas non ſuſcipere. Quippe præter id, quòd inde exitus felix ſperari nunquam poſſit, nihil eſt, quòd magis contaminet, & veluti lethali bubonis venenô perimat Principum ac Virorum magnorum famam, quàm negligentiam & teporem in rebus gerendis oſtendere. Absque ſtrenuitate enim non poſſunt committi actiones tales, quæ famam magni nominis merentur, conciliantque auctoribus ſuis. Cùm remiſſio & inertia Fortitudini atque Magnitudini animi è diametro ſint oppoſitæ, nec cum animi robore ſimul poſſint conſiſtere.



*Quicquid agis, ferventer agas; quæcunque remisſè*
*Fiunt, non fieri, tutius eſſe puta.*

III.

# LEVE ET MOMENTANEUM.

ETiamſi onera ac moleſtiæ, quæ in hôc mundô unicuique in ſtatione ſuâ imponuntur, opprimant ſæpius eum hominem, atque ita aggravent, ut videantur humeris ejus cadendo quaſi illabi, tamen non par eſt eum terreri, animôque deficere, atque unà cum onere proſterni ſoloque illidi; Quin potius humeros ſupponere, atque oneri perferendo novas vires ac Virtutem ſufficere. Id quod hoc Atlantis, (quem Antiquitas finxit Orbem humeris ſuſtentare, quamvis ab altitudine montis, hoc ei nomen fuerit impoſitum, ſive quòd Rex iſte Magnus Aſtrologus fuerit) Emblemate ac Lemmate, LEVE ET MOMENTANEUM indigitatur. Cùm ſine dubiô nullum onus tàm grave in hâc vitâ eſſe poſſit, quòd non leve appareat, ſi cum præmiô, quod pro ærumnis noſtris in alterâ vitâ ſperatur, comparetur, tùm neque illæ per ſe graviores ſint, quàm ut tolerare queamus, neque diutiùs, quàm nobis conveniat, perdurent. Quippe nunquam hâc in vitâ aliquid eſt perpetui, nec multa in eâ occurrunt, quæ multùm ſive diu durent.



*Si tibi vel totis incumbat molibus Orbis;*
*Perpetuum cùm non ſit, Leve fertur, Onus.*

IV. IN-

IV.

# INTUS LATET.

SIcut multi, cùm haberentur æſtimarenturque prudentes ac fortes, ſi quando gravioribus negotiis adhibiti fuérunt, ſpei de ſe conceptæ non reſponderunt, ſive verum de illis fuerit, quod proverbio dicitur, *Honores mutare mores*, ac *Magiſtratum virum probare*, ſive in illis vires, quas oſtentabant, non ſuffecerint; Ita è contrario alii, Virtute multâ dotibusque egregiis inſtructi, defectu occaſionum, Virtutem, quâ dotati ſunt, non exerunt. Id quod doceri poteſt hoc Emblemate, de *Chalybe* & *Silice*, cum inſcriptione, INTUS LATET. Cùm hoc intendat, ſicuti Silex ignem in ſe concluſum, donec attritu Chalybis percutiatur, continet, ita ignem generoſum, quem quis in pectore clauſum teneat, defectu occaſionum, quibus Virtutis atque Fortitudinis ſuæ ſpecimina edere poſſit, deficere nec ultrà ſplendeſcere.




*Vires sæpè suas Virtus non exerit actu;*
*Ignem nempe silex igneus intùs alit.*

V.

# PIORUM NAUFRAGIUM.

DIfferentia, inter homines justos atque injustos, insignis ex diversô navigationum ab illis institituarum successu optimè cernitur, quas navigationes nos inchoamus, cùm nascimur, absolvimusque, cùm morimur. Ac, quamvis in eô quidem omnes videamur æquales esse, quòd Vitæ nostræ navis obliquè atque in transversum agitur, adeoque tandem submergitur, minimè tamen ita se res habet, cùm justus in terram navim subducat, injustus altius, sed in profundum provehatur. Sicut hoc in navigatione *Noachi* justorumque Arcam cum eo ingressorum, tum eâ, quam filii hominum in Diluvio tenuérunt, cernitur. *Noachus* quidem obliquatô cursu montes tandem tenuit Armeniæ, filii hominum in profundum maris atque inferni præcipitati atque absorpti fuerunt. Ac, quamdiu quidem hæc nobis Vita manet, neque navigandi necessitatem detrectare, neque cùm morimur, submergendi periculum licet evadere. Quod, hôc *Arcæ Noachi super montibus Armeniæ* quiescentis Emblemate atque additâ inscriptione, PIORUM NAUFRAGIUM, repræsentatum, hoc vult: Navigandum esse cum justis, quoniam vel maximè obliquante nave in montes tamen cum illis evadimus.



*Justis se associans, si adversâ naviget aurâ,*
*Montibus in Celsis jam benè tutus erit.*

VI.

# VETUSTATE RELICTA.

Animalibus omnibus inſtinctus Naturæ conſervationis ſuæ appetitum ac ſtudium ingeneravit, ac nullum ex iis, quamvis exile illud ſit, videmus, quod non tendat ad ſui conſervationem & augmentum. Negligentiſſimum omnium circa hæc Homo eſt, cùm magis ſequatur appetitûs ſuos, quàm ut rectæ rationi obediat. Qui quidem viam contrariam ſi inſiſteret & ſuæ ſtuderet conſervationi, convenientius remedium perpetuitatis ſuæ invenire non poſſet, quàm ut ſe ipſum renovare ſtudeat; relictâ vetuſtate. Sicut *Aquila* tàm altè propeque *Solem* evolare perhibetur, ut hic eam radiis ſuis corripiat, plumasque ejus adurat, quas ea ſecum in aquam devehendo demergat, novasque plumas ac vires acquirat. Id ipſum nobis obtinget, ſi operam dabimus, ut ad Solem noſtrum Juſtitiæ appropinquemus, qui nos accendat & renovet. Quod hoc *Aquilæ* ad *Solem* advolantis Emblemate & inſcriptione, VETUSTATE RELICTA, ſignificatur.



*Est renovanda tibi ſanctô molimine Vita,*
*Sacra Avis ut Solis ſe novat ad radios.*

VII.

# IN PUSILLO NEMO MAGNUS.

QUantillum ſit omne id, quod in mundô tanti æſtimatur, ex conſideratione exiguitatis ejus facilè dignoſcitur, cùm ſecundum Aſtrologos inſtar puncti eſſe deprehendatur, comparatione ejus cum circumferentiâ Sphæræ ultimæ inſtitutâ. Ac quidem, cùm tàm exiguus utique ſit mundus, quam rem quæſo uſque adeò grandem in ſe continere is poſſit, etiamſi iſta prædominaretur atque imperaret toti Univerſo? Id denotatur hôc Emblemate ac dictô, IN PUSILLO NEMO MAGNUS, doceturque, Eum, qui Magnitudine animi præditus eſt, non debere rebus impendere tàm exilibus, qualis eſt mundus atque iis, quæ illô continentur.



*In parvo magnum frustrà quæsiveris, Uno*
*In puncto magnum quid reputare queas?*

VIII. TI-

VIII.

# TIMENDA NIMIA FOECUNDITAS.

SApientum multorum ſententia eſt, majori Virtute ac Fortitudine animi opus eſſe ad ſuperanda proſpera, quàm adverſa; quoniam hæc hominem ſibi ipſi vindicant, ut in ſe deſcendens, ſe in ſeipſum veluti recolligat, atque his experimentis quaſi ſtipatus tantò fortius adverſos casûs ſuperare poſſit. Proſpera verò hominem diſtrahunt, diffundunt, ac tandem extra ſe ipſum rapiunt. Id quod damnorum omnium, quæ homini obtingere poſſunt, maximum eſt. Hoc Emblemate *Arboris usque adeò fructibus oneratæ, ut diffindatur ac dirumpatur*, dictoque, TIMENDA NIMIA FOECUNDITAS, ſignificatur, ac quam damnoſa arbori ſit iſta ubertas, apparet. Etiamſi enim omnis exceſſus malus ſit, nullus tamen proſperitate nimiâ periculoſior eſt, quippe cui magis favet, tantò eum magis dementat. Qui prudens fuerit, ac ſuâ, quam Deus dederit, ſorte contentus vixerit, id Emblemate iſtô docere alios poterit, TIMENDA NIMIA FELICITAS.



*Proventu fruticum nimiô consumitur arbor,*
*In damno est, nimiâ prosperitate frui.*

## IX.

# BIS PEREO.

NUlla res animum magis pungit, quâm videre se percussum ac malè exceptum ab armis suis propriis, sive quis propriam suam voluntatem tyrannidi alterius subjecerit, sive animum suum ita alteri aperuerit, ut hic secreta illius noscendo, eum se sibi veluti subjectum habere existimet, aut si forte quendam bonô apud Principem locô collocaverit, qui non, quam debeat, gratiam vicissim ei rependat. Quicunque ex his quid expertus fuerit, næ ille optimè demonstrare poterit, quid sibi Emblema istud *Aquilæ, sagittâ propriis ejus plumis armatâ, ictæ,* cum adjectâ inscriptione BIS PEREO, velit; Duplices nimirùm plagas perferri, quæ armis propriis infliguntur. Quoniam, qui illas accepit, habet non solum, quod de hoste suô, sed quod de se ipsô, qui arma, à quibus ictus est, suppeditarit, conqueratur.



*Inflictum propriis vulnus qui tractat ab armis,*
*Is duplex sentit, vulneris esse malum.*

# X.
# NITOR IN ADVERSUM.

MAgnæ illæ difficultates ac contentiones pro consequendis hujus mundi commodis, atque incrementa illa & successûs prosperi, qui in hunc finem expetuntur intenduntúrque, non solùm afficiunt homines tenuiores fortunæ, quibus tantò plus viæ emetiendum est, quantò sese inferioribus in gradibus vident constitutos; sed, si quidem res justâ lance perpenditur, sine comparatione majores multò sunt difficultates ac labores illi, qui Principibus magnis subeundi sunt, non tantùm, ut augeant statûs suos, sed etiam, ut res suas conservent. Neque status ullus ita difficultatum istarum immunis est, quin sibi hoc de *Sole* Emblema, cum inscriptione, NITOR IN ADVERSUM, applicare possit. Sicut enim *Sol*, Planetarum qnamvis maximus, & qui potissimam influentiam in Creaturas inferiores dispertit, proprium suum cœlum cursumque conservat, tantas tamen oppositiones ac difficultates sibi experitur objectas, ut quasi per vim à motu Primi Mobilis abreptus, non possit cursum suum proprium, nisi post anni unius decursum absolvere. Ad eundem modum, etiamsi Viris magnis cum difficultatibus magnis sit conflictandum, non ideò tamen à labore, ut eas superent, iis desistendum est, quoniam eâ ratione se obtenturos esse finem, quem prætendunt, deprehendent.



*Nitor in adverſum de Solis dicitur auſu,*
*Nitendum eſt Magnis contra pericla Viris.*

## XI.

# VI FRANGITUR, OBSEQVIO FLECTITUR.

AN in gubernatione militari vel politicâ rigor potiùs, quàm blanditiæ adhibendæ sint, quæstio est omninò ardua. Super quâ tàm sunt opiniones diversæ, quàm diversæ sunt conditiones & affectûs eorum, qui hanc materiam tranctant. Qui naturâ atque indole asperi sunt, spiritûsque elatioris & ambitiosi, iis videtur impossibile esse, dirigere sive tractare negotium ullum, absque austeritate magnâ & rigore summô. E contrariô Viris cordatis, prudentibus & qui conditionis ac temperamenti snnt placidioris, mediam viam insistere tutissimum videtur. Quod hôc Emblemate ostenditur, in quô *Arbor* exhibetur, in quâ manûs duæ junctæ, ramum unum Vi apprehendendo discerpunt, cum inscriptione, VI FRANGITUR; ab alterâ parte ramum alium manûs aliæ duæ cum dexteritate torquent, flectuntque, cùm inscriptione, OBSEQVIO FLECTITUR. Ad eundem modum, qui per vim ac nullâ aliâ ratione adhibitâ imperare, sive negotia tractare voluerit, is omninò quidem metuetur, cæterùm minimè amabitur, neque imperium ejus violentum cùm sit, erit diuturnum. E contrario qui prudenter ac blandè gubernabit, tractabitque suos, jungendo rigorem administrandæ justitiæ cum blanditiis & dexteritate, animos, quos regendos suscepit, absque rumpendi periculô flectet, obligans eos amore & respectu ad faciendum ea, quæ rigore solô adhibitô facturi non essent.




*Ramorum hic arti cedit, vi frangitur ille;*
*Cum blandô mixtus regnet amore rigor.*

XII. VI-

XII.

# VITAM INVENIET.

PRæcipuæ circumſpectionis in hâc vita eſt, fugere extrema, quæ in vitio ponuntur, atque invenire medium, in quo conſiſtit Virtus. Solus ille, qui hoc præſtat, Sapiens atque diſcernendi facultate præditus dici meretur. Quoniam, ſicut ſolus Geometra rationem tenet inveniendi centrum in circulô; ita ſolus ille Sapiens eſt, qui abſtinens ab extremis, conſequitur medium, in quô Virtus conſiſtit. Extrema Virtutum vitia duo ſunt contraria, quæ æqualiter ſtudiosè vitanda ſunt, quia ille, qui liberalis eſſe vult, non ſolùm ſibi cavere debet ab avaritiâ, quæ extremum eſt unum, ſed etiam à prodigalitate, quæ extremorum eſt alterum, ſectans medíum inter illa, Liberalitatem. Id quod hôc ſignificatur Emblemate, in quô *Manus circinum continens centrum quærit in circulo*, cum inſcriptione, VITAM INVENIET. Quoniam, qui Virtutem inveniet, vitam cum tranquillitate temporalem inveniet atque æternam, cum quiete & gaudio ſine fine.



*In medio graditur Virtus; extrema caveto,*
*Et vitam invenies; Circinus ista probat.*

XIII.

# PULSA CAUTE.

ETiamſi aliquando tentare ſidem cogamur amicorum, attamen, quantumcunque deprehendamus, minus eos ſinceros atque integros eſſe, tum maximè, cùm nobis eorum auxiliô opus eſt, inquiſitione iſtâ, quantum fieri poteſt, ſuperſedendum eſt. Siquidem autem evitare non poſſimus, quin ad examen illud procedamus, fieri id debet magnâ cum circumſpectione ac conſideratione. Id quod hôc Emblemate *Canthari manûsq; integritatem ejus pertentantis*, cum inſcriptione, PULSA CAUTE præcipitur. Nam, ſicuti is, qui cantharum aliquem teſtaceum probare velit, manum ei applicando, exploratùm, an diruptus ſit an ſolidus beneque coctus, niſi id cum circumſpectione fecerit, etiamſi vel maxime, integer ſit, illum diffringet; ita, qui arrogantior fuerit, quàm neceſſe eſt, quando certos ſeſe amicos habere exiſtimaverit, fallere eos expectationem noſtram nec patrare promiſſa experietur. Quantum inde ſentiatur incommodi, teſtentur ii, qui id fuerunt experti.



*Vel ſub Amicitiæ ſi nomine falleris, altè*
*Diſſimula, & fluxam non mage ſperne fidem.*

XIV.

# AB INFOELICE CAVEAS.

QVanti momenti res ſit, in conficiendô quôcunque negotiô, tractare id eo quo debet modô ac ratione, ex diversô negotiorum pertractatorum ſucceſſu eluceſcit; quorum quædam principiis minus ſinceris innixa, mutatâ genuinâ & rectâ rei gerendæ ratione, impegérunt, ac finem deſideratum conſecuta non ſunt. Unde dictum percrebuit, *Negotium quodcunque ſimile eſſe Vaſi, cui anſæ duæ, altera quidem ſana & fœlix, quippe vaſi inſita, altera infœlix ac ſibi non conſtans.* Ita, ut ſucceſſus rei fœliciter gerendæ ſitus ſit in certitudine apprehenſionis anſæ ſincerioris, id quod Emblemate deſignatur & dictô, AB INFOELICE CAVEAS. Docendo, conſiderandum ſtudioſè eſſe modum ac terminum incipiendi, quicquid rei gerendæ aggrediaris. Quoniam, ſi quidem eâ, quâ par eſt, anſâ negotium apprehenderis, ut vas, adhærebit ſibi & veluti tecum conſolidabitur; At ſi aliâ ratione proceſſeris, anſâ infœlice inter manûs tuas hærente, negotium ipſum veluti fruſtulatim concidet ac diſſipabitur.



*Quam tangas anſam, quâ inceptes, proſpice, parte,*
*Eligito ſanam, ſubdola cuncta fuge.*

## XV.

# SPES INANIS.

SOli homini Deus ſingulari beneficio ſpem conceſſit in remedium ac ſolatium laborum atque ærumnarum quibus omni vitâ premitur. Nam Angeli non habent, quod ſperent, ſed quô fruantur, neque dæmones ſperare minus caſtigationis poſſunt eô, quod patiuntur. Homines ſoli ſperant, quamdiu vivunt, & appropinquant fruitioni ultimi ſui finis ac ſummi Boni, quod eſt Deus. Donec id conſequantur, ſuſtentat eos ſpes, quâ vivunt. Quæ efficit, ut dulces experiantur ærumnas illas, quibus tum conflictantur; onus, quod ferunt, leve; ac cum facilitate perrumpant difficultates & moleſtias hujus vitæ, ſpem firmam habentes fruendi æternâ quiete in vicem & pretium brevium ærumnarum. Qui igitur ex donô tàm inſigni utilitatem nullam captaverit, ſed ſpem ſuam in hominibus & in rebus fluxis & caducis collocaverit, æque ſe deceptum experietur, atque *Ille, qui cannæ* ſive *baculo fracto nixus, incubuerit.* Id quod Emblemate & inſcriptione, SPES INANIS, denotatur. Qui enim res ſuas ad hunc modum inſtituerit, ſuſtentationis ſuæ loco, ſeipſum feriet ac lædet. Id, quod verè accidit iis, qui vanâ ratione ſpem ponunt in auxiliô Ægypti, non ponendo eam in verô Deô Iſraëlis, qui ſalvos eos præſtare ſolus poteſt.




*Ne te decipiat, ne te spes vexet inanis,*
*Auxilii Ægypti findit arundo manum.*

XVI.

## XIV.

# ADVERSA MAGIS LUCET.

NOn magni fiunt neque in pretiô habentur res, quæ cum facilitate ac ſine moleſtiâ acquiruntur. Hoc tantò major eſt Victoriæ gloria, quantò acrior fuit armorum concertatio. Homo itaque fortis & magnanimus non aggreditur res, niſi arduas & difficultatum plenas, ad conſequendum quem appetit ſplendorem. Qui quidem non acquiritur, ſi ardorem vinceudi, atque adverſitates, ærumnas, contentionesque mundanas ſuperandi, remittat, ac non potius validè ſe iis opponat contraque illas fortiter decertet. Qui declarare id velit, ad eum uſum transferre poteſt Emblema hoc *Solis* & *Plenilunii* cum inſcriptione, ADVERSA MAGIS LUCET. Quoniam, ſicuti Luna, quantò magis ſe opponit Soli, tantò majorem claritatem à Sole accipit, ita quantò quis magis inimicis ſuis, pravis videlicet cupiditatibus ac effrænatis motibus animi laboribus item atque adverſitatibus hujus vitæ reluctatur, tanto majorem gloriam ac ſplendorem conſequetur.




*Quó magis opponit claro se pallida Soli*
*Luna, magis claret. Nitere, victor eris.*

XVII.

# FERENDO VINCAM.

Res paucæ hâc in vitâ ſine magno labore acquiruntur, ac ſi cuipiam contigit eſſe tàm felici, ut ſine illô id, quod ſibi propoſitum habet, ſit aſſecutus, non ideò ſe labore conſervandi, quæ adeptus eſt, ac timore ſive apprehenſione, poſſeſſa bona amittendi, liberaverit, cùm ab illis ne feliciſſimus quidem mortalium immunem ſeſe præſtare poſſit. Ac quoniam nec Viris magnis ac fortunatis, nec parvis atque infelicibus labores atque ærumnæ deſunt, neceſſe omninò eſt, malo tàm certo ac tanti momenti remedium quærere. Optimum & quod præcipuo in his difficultatibus adjumento eſſe poteſt, Firmitas eſt & Conſtantia animi ad illas patientiâ ſuperandas, quod hôc Emblemate *Scopuli, ad quem mare allidendo veluti rumpitur*, cum inſcriptione, FERENDO VINCAM, declaratur. Quoniam, ſicuti ſcopulus in tempeſtate ſuſtinens ictûs plagasque undarum maris, firmitate ſuâ, eas veluti conficit vincitque, ad eundem modum, qui animi robore & Fortitudine ad quantascunque ærumnas ſuſtinendas inſtructus fuerit, niſi ipſe ultro ſeſe illis dediderit, ad extremum patientiâ adjutrice, Victoriam triumphumque conſequetur.



*Quicpuid in adversis se opponit, vince ferendo,*
*Ut scopulus quasvis dissipat unus aquas.*

XVIII.

# TRANQUILLITAS FOECUNDA.

MAgnas ærumnas, magnas moleſtias, Animus inquietus & turbidus, non attendens quas inſuper aliis, qui amici Pacis ac quietis ſunt, excitet ac perferre eos cogat, tanquam in ſinu ſuo circumfert. Homo inquies quieſcere nunquam poteſt nec ubi conſiſtat habet, machinans ſemper quærensque rationem ac occaſiones, per quas moleſtia afficere æmulum ac perturbare poſſit. Id dùm agitat, vitam corrumpit, tempus atque facultates conſumit. Qui verò tranquillitate delectatur, eô ipſô vitam ſuam prorogat, rem familiarem auget, & cum ſuavitate ac voluptate ævo fruitur. Id, quod exprimit hoc Emblema *Nidi Alcyonum in mari tranquillo*, cum inſcriptione, TRANQUILLITAS FOECUNDA; innuens, ſicuti aves iſtæ, cùm tempus maris tranquilli cognoſcant, nidos ſuos tunc conſtruunt atque ova ponunt, ex quibus pullos ſuos intra dies paucos excludunt; ita illos, qui amici fuerint pacis & quietis, multiplicaturos ſibi divitias & voluptates, in hâc & futurâ vitâ.



*Alcyones placidis pariunt felicius undis*
*Pacificos ditat non agitata quies.*

XIX.

# VITA BREVIS.

NOn multis opus est ad persuadendum rationibus, vitam hanc brevem esse, cùm nobis omnibus id constet, ac siquidem non reperiuntur, qui animô deficiente, ut ex ærumnis evadant finem vitæ exoptant, aut si qui sunt alii magis perfecti, qui spe certâ freti, quam habent de vita æterna, fluxam hanc & temporariam transigere rite atque ordine cupiunt; Omnibus sanè reliquis tàm brevis vita hæc esse videtur, ut multi dixerint, non esse eam majoris latitudinis, quàm Palmi unius, mensuræ tantillæ eam propter tantam ejus brevitatem comparantes. Id, quod hòc Emblemate, *Manûs apertæ, palmum metientis*, cum inscriptione, VITA BREVIS, significatur. Atque adeò, si amplius hoc ipsum expenditur, apparet, majorem hominum partem mori, antequam vivere incipiant, aut vitam, uti sperant desideraneque, ad optatum finem possint producere; de quibus meritò dici potest, vitam eos deserere, antequàm vivere inceperint. Quæ ratio nos meritò debet excitare, ut cautius vivere studeamus.



*Vita brevis palmô cùm non sit latior unô,*
*Non malè quàm vivas, diceris ante mori.*

XX.

# TUTA MERCES.

MAla loquacitate nimiâ in vita communi excitata, tanta ſunt ac tàm probè cognita, ut in eâ, quæ hîc à nobis ſervatur, brevitate vel minima eorum pars hîc recenſeri, nequeat, atque e contrario, quantum fas eſt, laudari ſilentii ac Taciturnitatis Virtus. Sufficit declarare, tantas eſſe vires Silentii, ut efficiat, ſtultum haberi pro Prudenti; ſi ſilere ſciat. Qui ſe amicum eſſe Silentii oſtendere cupit, is utatur hôc Emblemate *Gruis lapidem ore geſtantis*, atque inſcriptione, TUTA MERCES. Nam de Gruibus memorant Naturalium rerum Scriptores, eas Taurum montem transvolantes, ne ab Aquilis ex clangore in tranſitu agnoſcantur, aſſumtos ore quosdam lapides geſtare, quorum beneficiô ſecurè iter ſuum conficiant. Atque eô docetur, Silentii mercedem certam eſſe, cùm paucos inveniamus, quos ſilentii pœnituerit, multos verò, qui in perpetuum deplorarunt nimium illud, quòd fuere locuti:



*Tuta manet tandem servata silentia merces.*
*Hoc lapis iste Gruis clausus in ore notat.*

XXI.

# MISERIS NULLA QUIES.

Qui ſe periculis multis expoſitum, continuis vexari ærumnis, atque ubi ex minoribus ſe expediviſſe exiſtimat, gravioribus aliis ſe involvi deprehendit, applicare ſibi poterit Emblema hoc *Piſcium*, quos *Volantes* appellant, qui cùm ſe *ab aliis piſcibus majoribus*, comedere *eos ſolitis*, *appeti & exagitari vident*, nec remedium aliud inveniunt, *alis*, *quas habent*, *concuſſis avolant*, *eâ ſe ratione evadere hoſtes ſuos poſſe exiſtimantes*; Verumtamen eâ ratione effugere malum ac infortunium nequeunt. Nam volando in aves quaſdam rapaces incidunt, quæ eos itidem perſequuntur, atque ita in eos ſæviunt, ut neque in aquâ neque in aëre remedium ac finem miſeriæ inveniant, ſicuti id ſententia oppoſita, MISERIS NULLA QUIES, exprimit.



*Piscibus adversi certis sunt Pontus & æther,*
*Sic miseris reliqua est denique nulla quies.*

XXII.

# FRANGAT.

PRorsùs expertem ſe eſſe rationis oſtendit is, qui in animum induxerit aliquid hâc in vitâ ſine labore atque moleſtiâ adipiſci: atque indicio erit, eum parum cognitionis rerum in hâc vitâ occurrentium habere, qui exiſtimat, ullam rem vel minimam non magnô labore conſtare. Siquidem verò id ipſe expertus non fuerit, interroget eos, qui magna itinera conficiendo loca multa peragrarunt, neque negaturi ſunt, dum in illis verſati ſunt, defatigationibus, ærumnis ac laboribus magnis ac multis hæc ſibi conſtitiſſe. Quòd ſi igitur tantô labore ad comparanda bona terrena opus eſt, quantò magis id requiretur ad conſequenda æterna. Id, quod per Nucem putamini incluſam, cui verbum, FRANGAT; adſcriptum eſt, denotatur, indicaturque, eum, qui nucleum eſſe velit, neceſſe habere, ut Nucem ftangat.



*Qui nucleum velit esse, putamina frangat oportet,*
*Non quicquam confert absque labore DEUS.*

XXIII.

# SEMPER EADEM.

ID, quod vel maximo adjumento eſt ſuperandis ærumnis atque adverſitatibus, Fortitudo eſt atque animi Magnitudo, utpote quibus res omnes reliquæ comparatæ parvi admodùm æſtimantur, atque etiam jactura earum minus attenditur, cùm Virum ſtrenuum atque magnanimum neque proſpera efferant, neque adverſa frangant. Id, quod hôc Emblemate deſignatur, in quô *Manûs duæ, aperta una, clauſa altera*, cum inſcriptione, SEMPER EADEM! Manus aperta proſpera ſignificat, clauſa adverſa, ac ſicuti aperta & clauſa una eademque manus eſt, ita quoque Virum ſtrenuum decet eſſe conſtantem, fortemque in utendo proſperis & ſuperandis adverſis, eàdem ſemper animi æquabilitate.



*Eſt eadem, ſeu clauſa manus, ſeu dicis aperta,*
*Adverſa accipito & proſpera, mente pari:*

XXIV.

# DUM DESÆVIT HYEMS.

QUemadmodum Nauclerus ille probatur, qui prævidens tempeſtatem ingruentem atque incommoda navigandi tempora, navem ſubducit in portum, in quô ſecurè tempeſtates ac turbines transmittit, donec Ver primum redeat, mare tranquilletur, ac venti ſuaviores & neceſſarii navigationi inſtituendæ reſpirent; Ita ille demùm Vir prudens ac rectus habebitur, qui reputans ſecum ærumnas ac perturbationes, quas tempus ſecum veluti attrahit, ac vaſa colligens in eum locum ſe recipit, in quo certiori cum quiete & minori periculô vitam tranſigat, donec res meliori locô collocatæ eſſe videantur, ac venti, quos avide expectat, aſpirent. Qui id operam dederit, indicare id poterit Emblemate iſtô *Navis in portu hybernantis*, cum verſu Virgiliano, DUM DÆSEVIT HYEMS, docendo, ſubducentem ſeſe periculo Hyemem adverſitatum commodè transmittere, ac Ver proſperitatum expectare, interea ſpem non amittere.



*Providus in portum ſubducit nauta carinam,*
*Tempora dum redeant, commoda; tute late.*

XXV.

# DOMINO SERVIRE GRATO.

PRæmia & pœnæ res duæ ſunt, quibus Reſp. omnes, & Imperia à parvis initiis orta ſuccreverunt, ad magnitudinem illam evecta & in ſtatu ſuô conſervata fuerunt, atque è contrario deficiente illarum partium alterá, reſpublicæ quamvis magnæ & potentes ſeipſas conſumſerunt deſtruxeruntque. Cùm itaque præmiorum ratio tanti ſit momenti, opera danda eſt, ut ſervitio nos addicamus Principis grati, quoniam ſuperandis ærumnis ac comparandis ſumtibus præcipuum adjumentum in certitudine ſperati præmi, verſatur. Id ſignificatur hôc Emblemate *Bucephali*, Equi tàm celebris Alexandri Mag. cum inſcriptione, DOMINO SERVIRE GRATO. Nam equus iſte incredibilem famæ felicitatem ſortitus eſt inſerviendo Principi, qui tanti eum fecit, ut, quòd noluerit ſeſſorem alium admittere, atque quamvis lethaliter vulneratus, ex præliô tamen Dominum extulerit ac ſalvum & incolumem conſervarit, animi grati teſtificandi cauſſa Civitati, quam ceperat, Bucephali nomen impoſuerit, atque equum in ſepulchrô ſumtuoſiſſimô condi curaverit, conferendo ei honorem, quem potuit; reddendo equum immortalem in omnem poſteritatis memoriam. Cæterum pudendum facinus eſt, cùm Deo ac Regi noſtro ad inſerviendum obſtricti ſimus, præmiaque, quæ ipſi conferre ſolent, ſine comparatione majora ſint, quàm ut ea poſſimus mereri, id tamen omninò facere negligamus.




*Principibus magna eſt gratis ſervire voluptas,*
*Pœnæ ſint ſonti, præmia certa probis.*

# XXVI.

# PUNCTO ET IN PUNCTO.

QUòd si Terra cum Cœli postremi magnitudine comparetur, effatum est Mathematicorum, Terram esse instar puncti. Monent itidem Philosophi, universum vitæ tempus, comparatum æternitati, minus esse punctô, cùm proportio nulla detur inter finitum & infinitum. Sic in hoc Emblemate & inscriptione, PUNCTO ET IN PUNCTO, indicatur, Mundum, in quô vivitur, non esse majorem punctô, ac vitam, quæ in illô vivitur, non æquare magnitudinem puncti. Cùm hæc ita se habeant, acu rem non tanget, sed sese decipiet, qui fiduciam in re tàm exili, quales sunt res humanæ, aut re aliâ tàm brevi ac fallaci, qualis est vita, collocaverit.



*Vita minor punctô est, instar mudnis quoq; puncti,*
*In neutrô quisquam spem sibi figat iners.*

XXVII.

# IN PORTU PEREO.

QUamvis voluptas magna sit, quæ ex consecutione ejus, quod cupide expetitum, ac magnô labore acquisitum â nobis est, proficiscitur, attamen gravior & molestia illa ac dolor, qui tùm, cùm aliquid ex eô, quod adepti sumus, deperit, existit. Nam ad scopum & fruitionem boni, quod tantoperè desideratum fuít, pervenisse, nihil aliud efficit, quàm ut sensum mali conduplicet, cùm penitiùs cognoscatur ruina, ac majori infelicitati deputetur, felicem fuisse. Id quod per *Navem, quæ portum jam ingressa igne absumitur*, in hôc Emblemate atque inscriptione, IN PORTU PEREO, denotatur. Doceturque, id ipsum, quod navi, etiam illi contingere, qui portum omnium quorum damnatus est votorum ingressus, in eô sese consumit peritque, nec frui potest fructu ejus rei, quam tantô cum labore consectatus fuerat.



*Servatam in portu, miserum est, navim igne perire,*
*Sic res majori salva dolore perit.*

# XXVIII.

# STATE.

FIrmô talô ſtare dicuntur ii; qui ſecundùm Virtutem vivunt atque eo actiones ſuas omnes dirigunt; qui verò contrariam viam inſiſtunt, ſuâ culpâ ultrò labi dicuntur. Atque hoc Emblemate *Arboris, cujus ramis ac radici ſecures admotæ cernuntur*, oſtenditur, quàm omninò conveniat, Fortem ac conſtantem eſſe, nec pati, ſe vinci aut diverti ab interioribus animi motibus, aut moleſtiis & adverſitatibus exterioribus. Quantò enim difficilius eſt, ſtante, quàm jacente arbore, ligna colligere, tantò facilius deſtruitur ac conficitur, quod jam proſtratum jacet. Ei rei ut obviam eatur ſtandum ſemper eſt pede firmô, prout id inſcriptione, STATE, inculcatur, atque in omnibus actionibus, tam iis, quæ cum Principibus atque in eorum aulis expediendæ occurrunt, quàm in aliis militaribus ac Politicis negotiis oſtendendus eſt animus ac Conſtantia, cùm Fortitudine ac Perſeverantiâ animo agitamus apud Deum & homines, id, quod, conſequimur.



*Si tibi Principibus mens eſt ſervire, memento,*
*Præcipuè firmô diſcere ſtare pede.*

## XXIX.

# OMNIA VORAT.

Quicunque attentè consideraverit vastationes atq; eversiones tot insignium Provinciarum, tamque celebrium Rerumpubl., finemque Imperiorum omnium, quæ propter magnitudinem finiri aut convelli potuisse inter incredibilia censeri possit, deprehendet, unicam destruendæ magnitudinis viam ac rationem, *Tempus*, fuisse, lentô ac continuô passu gradiens, atque omnia in se, tanquam ultimâ omnium rerum creatarum sepulturâ includens. Id, quod hôc Emblemate designatur, repræsentante *Colubrum ultimam caudam ore continentem*; quô Veteres decursum anni ac tempus designarunt, cum lemmate, OMNIA VORAT, docente, cum necesse sit res maxime secundas, omnem denique hujus vitæ splendorem diuturnitate temporis ad nihilum redigi & evanescere, omnia alia parvi æstimanda esse, ac solum illud, quod æternum est, quippe in quô Tempus vires ac potestatem suam ammittat, magni fieri debere.



*Omnia tempus edax consumit, tanta vorago,*
*Si magni Imperii, quid fuit, omne tulit.*

XXX.

# NEC PREMO NEC QUIESCO.

CErta ac consueta res est, magnas offerri difficultates ac molestias ei, qui res magnas aggreditur; atque in fa.inoribus arduis non minori opus est animô ac Virtute ut difficultates superentur, & quæ objiciuntur, impedimenta, tollantur, quàm ad ipsum negotium principale feliciter expediendum. Qui itaque demonstrare volet, sibi non abscondendum esse, quem pectore clausum continet, præclara aggrediendi, ardorem, nec quiescendum, donec re desideratâ potiatur, uti Emblemate *Flammarum ignearum*, cum inscriptione, NEC PREMO NEC QUIESCO. Nam ad eundem modum fieri non potest ut vir fortis igniculos desiderii, quo tenetur consequendorum honorum ac gloriæ, quique nisi perfecta re, conquiescere aut extingui nequeunt, penitus abscondat.



*Non premit illuſtres flammas, non ipſe quieſcit*
*Ignis, tantô ardent pectora celſa focô.*

XXXI.

# LIBERTAS NON LIBERA.

NUlla res in Societate humana majoris æſtimatur illâ, communi nomine appellatâ, Libertate; id quod apparet ex magnitudine Lytri ab iis, qui eam amiſerunt, perſolvendi, laboribusque iis, quos captivi, ut priſtinam libertatem recuperet, perferre non recuſant. Siquidem tanti, ac meritò quidem, apparens hæc Libertas habetur, quantò magis cenſenda eſt Pretioſa, vera illa Libertas, quæ unicè in non ſerviendo vitiis conſiſtit, ac quæ ſola à ſervitute & ærumnis libertatem præſtat. Tantum quidem mali in ſe continet id, quod vitioſum eſt, quanta ſunt vitia, quæ continet. Videant jam illi, qui Liberos ſe eſſe exiſtimant, an tales reverâ ſint, ac. Si quidem propiùs intueri rem voluerint, cognoſcent, non ſolùm ſibi attendendum, ne captivi à vitiis detineantur, ſed etiam occaſiones in ea recidendi devitandas, atque hoc agendum eſſe, ut ab iis ſe prorſum expediant. Nam, ſicuti *Canis, catenam, quâ ligatus erat, trahens laxatam, liberum ſe eſſe exiſtimare* non poteſt, cùm, etiamſi fugiat, ſe cum occaſionem facilioris detentionis circum ferat, ita Liber non eſt, qui occaſiones relabendi in vitia non penitùs demiſerit. Qui oſtendere velit, quàm periculoſæ ſint Libertatis amittendæ occaſiones, docere id poteſt hôc, *Canis catenam per terram trahentis*, Emblemate & inſcriptione, LIBERTAS NON LIBERA. Quia ejusmodi eſt Libertas illa, ut eam occaſiones facili negotiô ad captivitatem redeundi comitentur.



*Ltbertas nulla eſt, nova quam detentio prenſat,*
*Immunemque negat tracta catena Canem.*

XXXII.

# DEI OPERA.

ETiamſi DEUS nobis videatur præcipere ea quæ fieri non non poſſunt, dum nobis imitationem ſui iujungit, cùm opera ejus ſapientiâ infinitâ perfecta ſint, attamen, ſi rem rectè perpendamus, hoc ipſum magnæ miſericordiæ expers non eſt, cùm ſimul eô ipsô, quô nobis imitationem ſui imperat, favorem nobis ſuum & gratiam promittat, cujus beneficio nihil eſt, quod præſtari a nobis aut perficri nequeat, etiamſi cum magnis difficultatibus videatur eſſe conjunctum. Notæ ac principia, quæ ad cognoſcenda Dei opera nobis ſuppetunt, in eô conſiſtunt, quòd ea facta ſint numerô, pondere ac menſurâ. Id quod Emblemate deſignatur, cum inſcriptione, DEI OPERA. Qui ſibi hæc ob oculos ponere velit, applicet ſibi illud, atque omni in re, quam aggreſſurus eſt, operam det, ut omnia fiant pondere, munerô & menſurâ. Ac hoc quidem Deo, hominibusque ratione præditis, gratum acceptumque futurum eſt.




*Omnia cùm numerô, menſurâ ac pondere Numen*
*Fecerit, à nobis non malè poſcit idem.*

## XXXIII.

# FUGIENDA PETO.

TAntò majora ac acriora belli damna ſunt, quantò quis ea ſibi propiora habet. Magna meritò habetur calamitas, cui quis in eâdem, quâ verſatur, provinciâ ac regnô participat, major, cui quis in eâdem, quâ vivit, Civitate. At ſi in eâdem, quâ quis habitat, domô id contingit, tùm pericula atque ærumnæ tantæ ſunt acerbitatis, ut nihil quicquam cum iis poſſit comparari. Quod ſi quidem ita ſe habet, atrox maximè ac crudele ſit illud bellum neceſſe eſt, quod quisque intra ſe ipſum habet, ac damna, quæ inde proveniunt, multò majora; quando nimirùm voluntas pro eô, quod ratione dictante facere deberet, appetitum ſequitur, rectæque rationi repugnat. Unde pugna continua ac conflictûs procedunt, qvæ in homine flaccidô jam & per ſe miſerô tantam vacillationem atque inconſtantiam efficiunt, ut fugiat ea, quæ facere eum convenit, ac perſequatur ea, quæ eum minimè decent aut ei conveniunt. Qui pugnas iſtas ac contentiones ob oculos ponere velit, liber ipſe à depravatô iſtô deſideriô, facere id poterit, productô hôc de *Papilione ſeipſum adurente* Emblemate cum Inſcriptione, FUGIENDA PETO. Quoniam hoc ipſum accidit ei, qui conditionem rectæ rationis non ſequendo pravis ac refractariis cupiditatibus obedit; adhærendo rei, quæ minùs eum decet, & quam a ſe removere quàm longiſſime debeat.



*Proximus exitio cum Papilione peribit,*
*Qui facienda ſugit, dum fugienda facit.*

XXXIV.

# RETINERE NEQUEO.

TAm difficilis res eſt, ita tegere ac disſimulare quemcunque vehementiorem animi motum atque inveteratam cupiditatem, atq; ne ſenſus eam detegat ac veluti publicè manifeſtet, quàm bené perſpecta iis, qui id in ſe ipſis experti ſunt, cognoveruntque in aliis. Ac, quandoquidem hoc in nobilioris animi homine occurrit, tantò major apparet labor in fingendo ac disſimulando affectum: Qui id declarare velit, demonſtrare id poterit hôc de *Ætnâ ignivomô* Emblemate atque inſcriptione, RETINERE NEQUEO, denotando difficultatem abſcondendi ignis, quem in ſe concluſum continet, ſive ille ſit motus animi aut cupiditatis cujusdam, ſive generoſi alicujus deſiderii, res arduas & quibus demonſtrare Fortitudinem ac Magnitudinem animi posſit, aggrediendi.



*Ætna vomit flammas, ignemq; abscondere nescit,*
*Utque tegas animum quâlibet arte, patet.*

## XXXV.

# AMICITIÆ BONUM.

QUanta bona ex conjunctione animorum atque amicitiâ proveniant, ex perpensis, quæ ex dissensione ac discordiâ tàm in rebus naturalibus, quàm Politicis & Moralibus oriuntur, damnis patescit. Amicitiâ ac concordia res parvæ creverunt, discordiâ maximæ prolapsæ interierunt Unionis atque amicitiæ tanta vis est, ut facilia reddat, quæ videntur fieri nullo modo posse. Sicut videre est in hôc Emblemate, in quô repræsentatur *Arcus Lapideus*, qui contra naturam gravitatis lapidem impedit quærere Centrum, suspensum manentem in aëre à solâ amicitiâ atque unione Lapidum reliquorum coagmentatorum sustentatum. Qui testificari voluerit, magni se æstimare Amicitiam, atque se eam firmam & inviolatam cum amicis suis colere, uti poterit hôc Emblemate *Arcûs Lapidei* cum inscriptione, AMICITIÆ BONUM; declarando, tantum fructùs atque utilitatis ex illâ capi posse, ut ejus beneficiô contineri possint, quæ de cæterô videntur fieri nulla ratione posse.



*Vis ſit Amicitiæ quanta, hoc oſtenderit Arcus,*
*In quô vel lapides jungit & arctat amor.*

XXXVI.

XXXVI.

# IN UTRUMQUE PARATUS.

IN nullâ re convenientiùs Vir cordatus prudentiam ſuam oſtendere poteſt, quàm in cognitione temporis, cùm non ſit res ulla, quamvis optima, quæ extra tempus opportunum ſuſcepta non noceat magis, quàm proſit. Ac certè, qui providus, paratusque erit ad perferendum vel exequendum, ad conandum vel expectandum, & pro re ac tempore capere concilia ac foro uti noverit, næ ille mirabilia effecturus eſt in ſuis erpeditionibus. Qui ſe ad hæc paratum profitetur, demonſtrare id poterit hôc de *Incude & Malleis* Emblemate, cum inſcriptione, IN UTRUMQUE PARATUS. Nam ſicut laudabile non eſt, perferre aliquid alieno cum maximè tempore, tantundem eſt, velle aliquid aggredi, antequàm paratus ſit. Proinde, qui aliquid illarum rerum opportuno tempore adhibuerit, juremeritò providus ac prudens habebitur.



*Omne feret punctum, qui ſtans in utrumque paratus*
*Ipſe opportunô tempore quæque facit.*

XXXVII.

# NISI CUM DEFICIT, SPECTATOREM NON HABET.

ADmodùm familiare eſt omnibus hominibus, adeò, ut in naturam transiiſſe videatur, vitia & naevos alienos notare, reprehendere atque eis offendi potiùs, quàm ut laudent & magni faciant opera egregia, quæ in illis agnoſcunt, imitantes ea atque ex iis utilitatem capientes. Quicunque habet, quòd conqueratur, ſibi potius levem aliquam culpam ſive negligentiam imputari, quam ut præſtita à ſe officia inſignia attendantur, ſibi applicare Emblema hoc, *Solis Ecclipſin pasſi*, poteſt cum inſcriptione, NISI CUM DEFICIT, SPECTATOREM NON HABET. Etiamſi enim res usque adeò pulchra ac pene divina ſit SOL, nobisque tot bona luce ſuâ atque influentiis impertiat, nemo tamen eſt, qui eum contemplari atque inſpicere multùm laboret dum ſuis omnia radiis illuſtrat; ſi caſu quodam obſcuratur atque Ecclipſin patitur, nemo eſt, qui non oculos attollat figatque in eo, modum quærens ac rationem dijudicandi, ac notandi exactiùs vitium illud atque ejus defectum.




*Deliquium accurſu Solis ſpectatur anhelô,*
*Lyncei in alterius ſphalmate quippe ſumus.*

XXXVIII.

# POST VULNERA.

QUantò ſalutare magis auxilium atque remedium eſt in tempore ac quum neceſsitas exigit allatum, tantò è contrario, intempeſtivè atque occaſione elapsâ exhibitum, in majorem acerbitatem convertitur, cùm auctum deprehenditur damnum ex non tempeſtivè, ac cum uſui eſſe poterat, lato ſubſidiô. Qui oſtendere deſiderat, ſibi quoque remedium, quod ſperaverat, tardè obtigiſſe, quôcunque illud modô acciderit, uſurpare poterit Emblema *Scuti*, cui adſcripta ſunt verba, POST VULNERA. Quô docetur, *Scutum*, cujus ope defendere ſe ab impetu hoſtium, & ab ictibus potuiſſet, poſt accepta jam vulnera tardiùs exhibitum, non tantùm parum proficere, ſed etiam oneri magis, dum inutili pondere onerare humeros neceſſe habeat.




*Scuta, viri tegimen, post vulnera, nulla salutem*
*Præstant, ac serum est sic onus auxilium.*

XXXIX.

# HODIE VIVE.

PRocraſtinatio rerum gerendarum infinita ſemper incommoda habet, & cum magno eſt periculo conjuncta. Ac quamvis hoc veriſſimum eſſe, tàm pacis quàm belli, tempore deprehendatur, in nullâ tamen re dilatio perniciosior eſt, quàm in Emendatione vitæ, cùm ſit inter officia, quæ nobis incumbunt, potiſſimi momenti, ac in quô inimici noſtri potiſſima impedimenta, obſtacula ac difficultates nobis objiciunt. Quamvis enim multi perverſam eſſe, quam inſiſtunt, iſtam intelligunt, ac deſiderium ex ea ſe recipiendi præſeferant, pauci tamen ſunt, qui id executioni demandant atque opere ipsô expediunt. Ac plerisque accidere ſolet, ut antequàm vitam, quam ad finem perducere deſiderant, incipiant, vitam, quam vivunt, abſolvant. Id quod ſignificatur Emblemate *Currûs, in quô axes duo, cui alteri inſcribitur,* CRAS, alteri HODIE. Sicuti enim fieri non poteſt, ut is, qui poſteriori inſiſtit, aſſequatur illum, qui primo, qui continuè progreditur, inſiſtit; ita benè vivendum eſt hodie, nec differendo in craſtinum, intermittendum benè vivendi ſtudium, cùm nunquam dies hodiernus aſſequatur craſtinum.




*Craſtina quid ſpectas? Hodie, dum conſtat, agatur,*
*Poſtremam ad primam, non datur, ire rotam.*

XL.

XL.

# IPSE DECEPIT ME.

QUi veluti ſuſpenſas habebit ſpes ſuas à benevolentia alicujus Principis, ac cuidam miniſtrorum vel gratioſorum ejus, rerum potienti, innitetur, exiſtimans viâ illâ ſe citius perventurum ad opes & ad dignitates, quas expetit, quantò major erit ejus ambitio, tantò magis experietur deficere ſibi fulcimentum illud, cùm videbit ſpem, quam exiſtimabat in locô maximè firmô ac ſecurô ſe habere collocatam, prolapſam atque proſtratam in terram eſſe. Cui hoc accidit, ſiquidem id aliis demonſtrare velit, applicare iſtud Emblema poterit *Vitis una cum palo, cui affixa erat, in terra jacentis*, cum inſcriptione IPSE DECEPIT ME. Nam ſicut vitis habet, quod queratur, ac ſe ſe, quòd fructum nullum attulerit, eò quòd palus & fulcimentum ſibi exciderit, excuſet; ita & ille dolere ac conqueri poteſt, favore & auxilio, quod fruſtra ſperaverat ſe deceptos eſſe; atque id tantò magis, ſi, qui fefellit, auxiliari ipſi potuit, atque ad hoc fuit obligatus. Cujus mali ſenſus duplicatus exiſtit.



*Cujus nitebar, rerum potiente favore,*
*Hôc titubante cado. Decipit Aula, cave.*

XLI.

# DOMUS OPTIMA.

MOlestias, quas sustinent ii, quos fortuna adversa cogit relictis patriis sedibus aliò se conferre, narrabunt, qui eas perferunt. Atque etiamsi proverbio dicatur, *Viro Forti* omne solum patriam esse, non minùs tamen verum est, quòd itidem dicitur, infelicem ac infortunatum esse in patria suâ, qui eam mutare cogitur. Illud docetur hôc Emblemate *Testudinis*, & inscriptione, DOMUS OPTIMA. Fabula, unde ista desumta sunt, nota & familiaris est, memorans, Testudinem, cum tardè admodùm ad nuptias Jovis accesisset, reliqua verò animalia omnia jam in convivio comparuissent, ob tardiorem accessum reprehensam, excusasse se illô, quòd meliorem domum suâ ipsius domô non haberet. In pœnam verò ac castigationem ejus, Jovem Testudini mandasse, ne unquam ex domo suâ exiret, sed domum in tergore acceptam perpetuò circumgestaret. Talis hæc pœna est, quam quilibet homo cordatus æquissimo animo debet ferre, ac præcipuè, si quidem expertus fuerit, quam molestum sit maximam vitæ partem peregrinari.



*Quamvis extremos curſu quis tendat ad Indos,*
*Optima quin potius ſit ſua cuique domus.*

XLII.

# NON METENTIS, SED SEMINANTIS.

QUantumcunque graves ſint difficultates ac moleſtiæ, quæ ſe ſe objiciunt ad conſequendum id quod expetimus, facile tamen ſuperantur, ſpe conſequendi finis propoſiti. Hâc ſpe fretus agricola non tantùm totius animi decurſu laborat atque anhelat, ſed & ſemen ſpargit ſolâ, quamvis dubiâ, ſpe, colligendi cum fœnore fructum ejus, quod ſeminavit. Quantò ſucceſſus rerum talium proſperior, gratior & acceptior eſt, tantò acerbiùs accidit illi, qui multum laboravit anhelavitque, ſi quidem eô ipsô tempore, quô præmium ſervitii meritique expectat, alium colligere ac frui laborum ſuorum fructu conſpiciat. Qui hoc aliis volet indicere, uti poterit hôc *Manipulorum triticiorum* Emblemate ac Lemmate, NON METENTIS, SED SEMINANTIS, Quoniam natura duce & recta ratione magiſtra fructus non debet eſſe colligentis absque labore, ſed ejus, qui ſeminavit ac laboravit, ſudavit & alſit.



*Qui fructum carpit, non protinus ille meretur,*
*Spargentis semen gratia major erit.*

XLIII.

# NON DUCOR.

PEtere atque accipere conſilium ſuper iis rebus, quas perficere nos oportet, res eſt maximè neceſſaria omnibus, qui ſuis in actionibus ſcopum ferire, ſive acu rem tangere voluerint. Ac, quantò eminentior fuerit dignitatis gradus, in quô quis collocatus eſt, tantò illud magis erit neceſſarium. Nam ſicut, qui rogare atque uti conſiliô nolit, meritò pro temerariô habetur. Ad eundem modum is, qui in rebus omnibus à voluntate & nutu alieno dependet, fieri non poteſt, quin pro timidô & homine nullius pretii reputetur. Si Princeps aut quispiam alius magni nominis, vitando hæc duo extrema, oſtendere volet, Amicum ſe eſſe Conſilii, & animum ſibi viresque ſufficere, ut regat, non regatur, id indicare poteſt hôc Emblemate *Vaſis absque anſis*, cum inſcriptione, NON DUCOR. Quia vas eô ipsô, quòd vas eſt, ſe recipiendi, quæ infundantur, capax eſſe, eô autem, quòd anſis caret, tàm facile non eſſe tractatu, atque à nihilô apprehendi levarique non poſſe, oſtendit.



*Anſa quod eſt vaſi, ſunt hoc conſulta regenti,*
*Ipſe ſibi capiat conſiliamque petat.*

XLIV.

XLIV.

# PROCUL.

Qui vitæ curriculum placide & tranquille conficere cupit, ac reddendis deinceps ejus rationibus receptui canere, partem aliquam illius temporis, quod perdidit, aliisque rebus ſine fructu impendit, ſibi ſumendo, abſtinere debet à Principibus, Aulisque eorum, atque à conſuetudine potentiorum. Id quod indigitatur hôc Emblemate decantati *Fulminis Jovis*, cum inſcriptione, PROCUL, docente, fugiendos eſſe Principes, & quoſcunque Potentiores propter periculum, quo cum familiaritas illorum & conſuetudo eſt conjuncta. Dum enim facilè quis eos offendit, in malam eorum gratiam incurrrit, ac ſe periculo ruinæ fulminis ictu afferendæ objicit. Ut eviten-tur damna iſta, auctores fuere ſapientes antiqui, declinando iras dimittendo ſpes vanas, excutiendo ſollicitudines ac curas, contemnendo remunerationes falſas, negligendoque fictas Principum amicitias, fugere hos, ac vitare eorum aulas, ſicut nauta fulminibus ac tempeſtatibus ſe ſolet ſubducere.



*Si sapis, at magni non fulmina temne Tonantis,*
*Aulis Magnorum præstat abesse procul.*

XLV.

# SIC ITUR AD ASTRA

PRincipia omnia tàm disciplinarum, quàm actionum, difficilia sunt, ac quamvis hoc generatim verum sit, in nullâ tamen re conflictûs acriores ac difficultates majores, quâm in principiis Virtutis, occurrunt, donec actibus crebris acquiratur habitus, in quô Virtus consistit. Difficultas hæc proficiscitur tàm à depravatâ naturâ nostrâ, quàm ab hostibus nostris, qui & fortes sunt & superiores nobis, & qui præcipuum nobis damnum intra portas voluntatis nostræ inferunt. Quæ cum ita se habeant, certè nobis non est cedendum retrò, imò eò audacius progrediendum. Id quod Emblemate *Pyramidis* & inscriptione, SIC ITUR AD ASTRA, denotatur. Nam sicut Pyramis cuspide acuta est & angusta, ac deinde paulatim dilatatur; ita Via Virtutis principiô ærumnosa ac difficilis est, verum quantò amplius in eâ proceditur, tantô eam consuetudo suaviorem ac faciliorem reddit. Atque huc res redit, ut etiamsi non nisi suavitates atque voluptates summæ causa, quæ virtutem comitatur, virtus esset expetenda tamen secundum eam vivendum sit.



*Aſpera Virtutis via: ſed ſic itur ad Aſtra,*
*Principium cuſpis, latius inde patet.*

XLVI.

# SIC ANIMI AFFECTUS.

ETiamſi motus animi, cum quibus pugnandum nobis eſt, principio nobis adeò graves ac fortes non eſſe videantur, non ideò nos in reſiſtendo atque illos domando negligentiores eſſe convenit. Nam ſi nos ab illis vinci ac ſubigi ſinimus non tantùm non acquieſcent in eô, ut voluntatem illis noſtram prodamus, ſed etiam ingerere ſe ſe parabunt intellectui noſtro, excæcando eum atque efficiendo, ut nigrum pro candidô, clarum pro obſcurô, falſum pro verô apprehendat, de gradu in gradum nos præcipitando, donec nobiscum in profundum errorum quibus mens humana magno ſuo malo agitatur præcipites ruant. Id hôc Emblemate *Perſpicillorum* atque inſcriptione, SIC ANIMI AFFECTUS, deſignatur. Nam ſicut illi, qui per Perſpicilla proſpicit, quæcunque conſpicit, eôdem ipsô colore apparent, cujus ſunt perſpicilla, atque res ipſæ vel gtandes vel parvæ viſui ſe ſiſtunt pro Perſpicillorum ſigurâ ac formâ; ſic animi motus hoc efficiunt, ut omnia conformia ei cupiditati, cui inprimis inſervimus, appareant, dum ſe ſe oculis rationis opponendo, eam ita perturbant, ut, ſiquidem amore æger rem aſpiciat, omnia ei pulchra facilia ac ſuavia, ſin verò odio, præpeditus; ea ipſa mala, fœda, aſpera atque difficilia appareant.



*Apparent tali, quô imbuta, ſpecilla colore*
*Res; ſic affectûs ſe patientis habent.*

XLVII.

# AMICITIA ABSQUE VIRTUTE.

CUm Amici ad vitam tranſigendam magis neceſſarii ſint igne & aquâ, ac meritò pro potiori theſaurô habeatur, ſi cui divinitus contingit uti familiariter viris bonis ac fidis amicis; quia tales ſi ſunt, præcipuo adjumento ſunt, ſive ſuavitatibus vitæ perfruendis ſive acerbitatibus ejus ſuperandis; Maximi utique momenti eorum eſt, delectus, tales eos ut habeamus, qualibus opus eſt, ad ſervandas tàm ſeveras ac rigidas leges, quales ſunt leges Amicitiæ.

Prima ac præcipua harum eſt, ut Amicitia Virtute nitatur, ita ut in Perpetuum durare poſſit. Sicuti id in Emblemate *Globorum duorum conjunctorum* atque inſcriptione, AMICITIA ABSQUe VIRTUTE, denotatur. Sicut enim, probantibus id Geometris, verum eſt, ſphærâ ſive circulô alteri junctô non attingere ſe circulos invicem, vel concurrere, niſi unô in punctô; eâdem ratione Amicitia; quæ Virtute fundata non eſt, firma aut ſecura eſſe non poteſt, ſed falſa eſt & ſimulata. Unde multas vidimus amicitias diſſolvi, ac disjungi, quamvis maximè firmæ eſſe viderentur, deficiente eis hôc quô conſtringendæ ac ſuſtentandæ erant, Virtutis vinculô.



*Vinculum amicitiæ Virtus, quæcunque carebit*
*Istô, fucus erit nomine Amicitiæ.*

XLVIII.

XLVIII.

# DIVINAE VINDICTAE.

QUantò major eſt Principum poteſtas, tantò major eorum eſt recognoſcendi eam à manu Dei, à quô procedunt, omnes mangnitudines, imperia ac Dominationes, obligatio. Demonſtrare utique debent, gratô ſe eam animô agnoſcere, potentiam ac mangnitudinem ſibi à Deo conceſſam in hoc impendendó, ut ſint acerrimi propugnatores ac vindices gloriæ atque honoris divini, cùm hoc ſit ſervitiorum, quod Deo præſtare poſſint, acceptiſſimum. Hoc commodè exprimitur Emblemate *Aquilæ fulmen tenentis*, cum inſcriptione, DIVINÆ VINDICTÆ. Sîcut enim Aquila ales eſt Jovis ac fulmen arma denotat, quibus Jovem caſtigare ſontes dixerunt Antiqui; ita Princeps uti volens hôc Emblemate oſtendet, ſe bonum à Deo acceptum debitô modô cognoſcere, declarando publicandoque, ſe miniſtrum eſſe Divinæ Vindictæ contra Nominis divini hoſtes.



*Vindex est princeps divini Numinis iræ,*
*Nec frustra in manibus fulmina picta gerit.*

XLIX.

# AUT VOLARE AUT QUIESCERE.

ANimi magni ac generosi est, vitam potius quietam nullo eximiæ virtutis aut illustris facinoris specimine edito, transmittere, quàm res parvas & Magnitudini animi sui non respondentes suscipere. Ac sæpius visi sunt viri aliqui strenui, veluti per saltum ad fastigium gubernationis, negotiorum pacis ac belli, pervenisse, cùm quidem initio de rectâ eorum gubernatione dubitaretur, quod media iis acquirendæ experientiæ defuissent, nihilominus rationibus exactè redditis, negotia magni momenti mensuræ fortitudinis suæ congruere, ostendisse. Qui itaque volet indicare, res parvas aggrediundi sibi animum non esse, quin potius tranquillam in otio honesto vitam degere constituisse, commode declarare id poterit Emblemate *Avis*, quam *Paradisi* appellant, ad nos ex Indiis Orientalibus allatæ, cum inscriptione, AUT VOLARE AUT QUIESCERE. Nam sicuti Avi pedibus destitutæ aut volandum aut quiescendum est, ita ille, cui non datur suscipere res magnas, in quibus Fortitudinem suam possit exerere, malle se vitam quietè ac privatim honeste traducere ostendet.



*Præſtat nulla ſui penitus documenta dediſſe,*
*Quàm non ſe digna, & vilia parva ſequi.*

L.

# STULTIS MORDET.

QUamvis inimici noſtri fortes ſint ac potentes, non ideò tamen terreri ac manûs nos dare par eſt, cùm certi ſimus, ſimiles eſſe illos *Cani catenâ vinctô, qui non niſi appropinquantes adoriri ac lædere poteſt.* Quantumcunque igitut litigent nobiſcum ac contrà nos exurgant, ſi quidem non accedamus ad eos, conſentiente voluntate noſtrâ, mordere nos ac lædere nequaquam poſſunt. Cùm verum ſit, neminem lædi niſi à ſeipſo, voluntate ſcilicet ſuâ, malis inimicorum conſiliis conſentiendo. Cautè cum his verſaturus, uti poterit hoc Emblemate *Vincti canis* & inſcriptione, STULTIS MORDET. Stultus enim eſſe nou deſinit, qui usque eò cani vincto appropinquat, ut hic eum apprehendendo mordere poſſit, ac non niſi de ſe ipſô conquerendi cauſam juſtam habiturus eſt.




*Stulte! quid accedis? vinctus nil Cerberus audet,*
*Consensu accedens læderis ipse tuô.*

LI.

# INGENIUM VIRES SUPERAT.

QUi ſoli potentiæ ſuæ ac viribus confiſus, ſuſcipere res magnas decreverit, atque ad finem perducere ſe eas hâc ratione poſſe exiſtimaverit, quamvis viribus omninò magnis inſtructus ſit, ſe ipſum tamen deceptum deprehendet; cum facili negotio, ut alius inveniatur, contingere poſſit, qui minore fortè robore, at majori ingeniô excellat atque eum ſuperet, ac tanto major ſit res iſta, quam ingenium mediocribus viribus adjutum potius, quàm vires ſolæ, præſtat, quantò excellentiores ac majoris faciendæ ſunt facultates animæ, quam ſenſus corporis. Cui animus eſt indicare majoris ſe æſtimare ingenium mediocribus viribus inſtructum, quàm vires magnas absque ingenio, id faciet hôc Emblemate, in quô depicta eſt *Machina, cujus beneficiô molem multò majorem quis ſuſtollere in altum poteſt, quàm omnibus ac ſolis viribus ſuis potuiſſet.* Cui Emblemati adſcripta eſt ſententia, INGENIUM VIRES SUPERAT. Eâdem quippe ratione, quod ſolis viribus obtineri non poteſt, ingeniô atque ſcientiâ perficietur.



*Quam vires ſolæ nequeunt, hanc machina molem,*
*Ingenio vires jam ſuperante, levat.*

LII.

# STERILIS LABOR.

TAnta eſt magnitudo ac dignitas Animæ noſtræ, ut quamvis finita ſit, nihil tamen in mundô exiſtat, quod ei fatisfaciat, aut quantumcunque id tandem ſit, deſiderium ejus impleat, niſi infinitum, quod eſt Deus. Ac ſanè, quantum quidem uspiam laboris in indagandô ſolatiô ac tranquillitate animi inveniendâ inſumatur, tamen in rebus caducis ac fluxis nihil iſtorum invenit anima, ſed in ſolô Deô æternô, à quô creata eſt. Cæterum iis, qui ſolatia quærunt & tranquillitatem in terrenis rebus, idem accidit, quod Danaidibus, quæ fruſtra in implendô doliô perforatô laborarunt. Id quod hoc earum Emblema intendit, cujus inſcriptio, STERILIS LABOR, illis ſimilis eſt, qui vacuum, rebus æque vacuis, quales ſnnt terrena omnia, implere parat, cum nihil animam, præter Deum, qui eam creavit, ſatiare atque explere poſſit.




*Frustrà terrenis animam tu pascere tentas,*
*Huic fixa in solô sunt sua vota Deô.*

LIII.

# RERUM VICISSITUDO.

SI quidem attentè considerentur ea, quæ in mundô occurrunt, facile est, varietates ac mutationes rerum omnium animadvertere. Ac, quamvis hæc ita se habeant, omnium temporum ratione initâ, in hôc tamen, quô vivimus seculô, aliquid istorum amplius, quàm seculis multis anterioribus observari intuentium oculis videtur. Videmus enim homines quosdam ex humilis conditionis statu eò fastigii adscendisse, ut sceptro ac diademate fulgerent: alios, qui regna possidebant, expulsos ac regnis exutos, atque alios rursùs, qui tanquam terræ filii, quum ex humili nascendi sorte emergerent, in tàm sublimi dignitatûm locô collocati fuerunt, ut quasi oculi aciem effugerint; unde tamen denuò lapsu graviore proni in terram deciderunt. Qui varietates istas ac mutationes oculis exponere velit, hoc Emblema *Calculorum*, cum inscriptione RERUM VICISSITUDO, usurpet. Quoniam, sicuti in computando atque rationibus ineundis Calculus magnam aliquam summam conficiens, mox in computatione aliâ aut fortè eâdem ipsâ, vel minimum computationis numerum refert, ita quibus exigua aut instabilis summæ fortunæ, ac illustris dignitatis usura contigit, ii comparari possunt rebus æque fluxis & quarum varium est pro varietate temporum pretium, quales sunt computatorii isti calculi.




*Calculus in numeris mille est, centumque vicissim,*
*Sic rerùm variant horrida fata vices.*


LIV.

# LAPIDE AURUM, AURO HOMO.

QUanquam ſecundum illud, munus aut qualiscunque dignitas Lydius ille lapis eſt, quô

— Quid valeant hùmeri, quid ferre recuſent.

exploratur, inter omnia tamen, in quibus potentiæ plurimùm eſt, eminent, quæ ad negotia civilia & ad bonum publicum pertinent. Ac ſicut lapis Lydius gradûs auri indicat, ita aurum ipſum Lydius ille lapis eſt, quô facultates hominum eorumque vires explorantur. Quod in hôc Emblemate *Lydium lapidem* adumbrante atque inſcriptione, LAPIDE AURUM, AURO HOMO, arguitur. Quisquis enim aurum magni non fecerit, eô ipsô deſignabit, magni ſe facere atque in pretiô habere honorem, neque lucri gratiâ debitum officium eſſe intermiſſurum.



*Si lapidi affrictum sit, vitè probabitur, Aurum,*
*Aurô sic ipsô est experiundus homo.*

LV.

# CERTA PRO INCERTIS.

SIquidem homines actiones ſuas probè examinarent, dubium non eſt, quin animi ſui motûs componerent, ac ſententiam in multis, quæ agunt, mutarent, quoniam, quàm audaces ac temerarii ſunt in rebus, quæ ad palatum atque appetitum illorum faciunt, tàm ſunt imbecillis animi atque restricti in iis, quæ expediri illorum maximè intereſt. Hic fortunæ atque navigationi in Indias ſuſceptæ committit facultates ſuas, tantô, quod à mari ac piratis imminet, periculô, ſolius lucri, quod ſperat, gratiâ. Alius tantum, quantum poſſidet, ſervitio impendit alicujus Principis, ſolâ gratiæ ſibi à Principe conferendæ ſpe adductus; alius viciſſim navim conſcendit, terraque, in quâ natus eſt, relictâ quæſitum abit, quam nunquam vidit, patriam, ſolâ plus in hâc, quàm in relictâ, obtinendi fiduciâ, Id quod hôc Emblemate. *Navis vela facientis* & inſcriptione, CERTA PRO INCERTIS, ſignificatur. Cùm verò tàm confidentes ſimus in rebus iſtis ac temerarii, mirum eſt, tàm curtos nobis atque imbecilles ânimos eſſe, ut incerta hujus vitæ ad obtinenda certa vitæ beatæ inter cœlites commoda contemnere dubitemus.



*Spe vanâ incerti mox certa reliqueris, unâ*
*Pro vitâ æterna tuta pericla times.*

LVI.

# SIC VITAM INVENIES.

SIne ullâ ratione de ſorte calamitoſa conqueritur, ſeu, quam vocant, Fortunam incuſat, qui eam exiſtimat ſibi facere injuriam, quod non omnia ſibi, quæ deſiderare aut cogitatione ac cupiditate complecti poſſit, affundat, dum ipſe pro ſe nihil laboris aut ſudoris conferre, in animum inducit ſuum. Qui hoc inculcare velit, aſſumat Emblema *Manuum ſpicas triticeas fricantium*, cum inſcriptione, SIC VITAM INVENIES. Nam ſicuti eum, qui grana ex ſpicis colligere deſiderat, neceſſe eſt ſtringere manus ac laborare, ita quoque, qui præmium Virtutis conſeqni geſtit ſive eum, qui hiſce in terris acquiritur, honorem, nominis gloriam aut aliquid facultatum, habet ſanè, quód laboret ac pugnos conſtringat. Quod niſi faciat, nonniſi, de ſe ipſo conquerendi cauſam habebit, quod occaſionem opitulandi ſibi ipſi neglexerit, cum ſciret, rem nullam, omnibus rebus benè conſideratis, tàm nauci eſſe, quin magnô cum labore, quaſi permutatione quâdam, comparetur.



*Triticeam quæris collectam condere messem,*
*Est stringenda manus. Vita labore scatet.*

LVII.

# AMICUS POST MORTEM.

NUlla res in hâc vitâ communi majoris æſtimanda eſt amicô certô. Qui eum invenerit, cauſam omninò habet, cur ſe felicem tantô theſaurô inventô prædicet. Nihilominus, cùm Leges Amicitiæ per petuæ ſint, non ſolùm idem cum amicô velle & nolle, quoad vivimus convenit, ſed & poſt mortem, quæ amici ſunt, procurare, atque id quibuscunque occaſionibus oblatis oſtendere. Qui hoc indicare volet, uti poterit Emblemate *Arboris exuctæ* ſive *emortuæ cum vite pergulana*, *fructibus* ſive *uvis onuſtâ*, cum inſcriptione, AMICUS POST MORTEM. Quoniam, ſicuti arbor idem officium præſtat emortua; quod in ſuſtentando atque fructûs vitis, dum eſſet viva, adjuvando; ita viciſſim amicum ſuperſtitem, etiam poſt mortem, amicitiam colere par eſt.




*Mors nec amicitiæ Leges, diſſolverit; Arbor*
*Et vivens viti ſiccaque præſtat opem.*

LVIII.

# NULLA SORS LONGA.

Cùm varium atque mutabile ſit quidquid in hâc vitâ occurrit, magnoperè ſeipſum decipiet, qui exiſtimaverit, ſuavitates ejus fore perpetuas ac pariter ærumnas ſemper eſſe duraturas. Qui hoc capit, eam vitæ rationem inire tenetur, ut quantò felicius ei res ſuccedunt, tantò magis ſe præparet, excipiendis, quæ ſubſequi poſſunt, moleſtiis ac pro certô teneat, ſuavitatum atque acerbitatum eam viciſſitudinem eſſe, ut morâ non longâ interpoſitâ ſibi invicem ſint ſucceſſuræ. Id, quod Antiqui ſignificare voluerunt, dum dixére, *Jovem vaſa duo penes ſe habere, unum plenum mali, alterum boni, ex quibus continuo inter homines bona & mala per vices effundat ac diſtribuat.* Quod & Emblemate *Templi & vaſum duorum ad portam conſtitutorum* cum inſcriptione, NULLA SORS LONGA, inſignitur. Atque hujus quidem rei conſideratio, ut, qui inter homines felici ſorte gaudent, circumſpectè vivant, de reliquô iis, qui iniquâ ſorte premuntur, ſolatium ſuppeditare debet.



*Quicquid in hâc vitâ fiat mutabile cùm ſit,*
*Utraque magnanimo ſors moderanda viro eſt.*

LIX.

# UT MELIUS TENDERE POSSIM.

QUi in negotiô qualicunque, quod aggreditur, laborem usque eò intendere velit, ac rem ſuſceptam ita ſibi curæ & cordi eſſe patiatur, ut ſine ullâ relaxatione aut reſpiratione eam ſe conſequi inſtituat, næ ille ſe magnoperè deluſum experietur; quia tùm, cùm maximè ôpus erit, ut viribus majoribus in eam incumbat, vires eæ ipſum atque etiam animus negotio, in quô tantum anhelavit ad finem perducendô, deficient. Qui, vitare dum cupit extrema iſta, à labore inceptô paulisper requieſcit ac reſpirat, quò tantò intenſius eum poſſit reſumere, ſententiam ſuam Emblemate iſtô *Arcus*, ut ita dicam, *exarmati*, ſive *cui chorda remiſſa eſt*, atque inſcriptione, UT MELIUS TENDERE POSSIM, declarare poterit. Nam, ſicuti arcus continuò intenſus ipſe veluti delaſſatus tandem ſubſidit, ac remittit, ita etiam vires corporis atque animæ flacceſcunt, niſi aliquantum ſubleventur atque foveantur, in vicem condimenti velut excitando appetitui, ac ſuperandis tantò faciliùs laboribus.



*Ut melius tendas, fac Arcus ut ipſe quieſcat,*
*Non Arcum intenſum ſemper Apollo gerit.*

LX.

# NE TE QUAESIVERIS. EXTRA.

QUantùm homini præſtet ſui ipſius cognitio, de eô plen omnes ſunt libri, non ſolùm ſacri, verùm etiam profa ni. Summatim hoc ita exprimitur, ut dicatur, quantun quisque in cognitione ſui progreditur, tantum proficere in co gnitione Dei id quod eſt lucrum, ratione bene ſubducta, omniun maximum, cùm tanti noſtrâ interſit, ut eam, quantum mortali bus datum eſt, aſſequamur. Neque etiam nos pigros ac ſegnes e ſe in nobis ipſis explorandis convenit, ſed ut hoc rectè exequa mur, opus eſt, ut intelligamus atque excutiamus nos, indagand undè profecti extiterimus, cùm difficulter, inveniatur id, quod e locô quæritur, unde ortum non ducit Adeóque unusquisque de bet ſeſe quærere in ſe ipſo, ut ſe intra ſe ipſum inveniat, cùn fieri non poſſit, ut quis ſe ipſum inveniat ac cognoſcat, ubi ſe ſe ubique diffundat, atque extra ſe ipſum peregrinetur. Id quo ſignificatur Emblemate *Limacis* ſive *Cochleæ*, cum inſcriptione NE TE QUAESIVER S EXTRA. Sicut enim Cochlea domun ſuam nunquam egreditur, ſed in eâ anguſtè atque reſtrictè ha bitat, ita qui penes ſeipſum divertit, nec ſenſibus paullo mo mento huc illuc impelli ſe ſinat, infirmitatem clauſtrorum, qu bus portæ ejus interiores munitæ ſunt, deprehendet. Ac quan tò quis majorem hujus rei ſcientiam acquiſiverit, tantò altiu enitetur ad cognoſcendum immenſum Scientiæ & Sapienti Dei theſaurum, in qua cognitione demum vera hominis be titudo eſt poſita.



*Proximus ipſe tibi, ne te quæſiveris extrà,*
*Te noſce, ut poſſis diſcere, nôſſe Deum.*

## LXI.

# SIC LITERAE SACRAE.

SCriptura ſacra vita ac columen eſt eorum, qui in colendo ac demiſse venerando DEO immortali felicitatis ſuæ ſummam poſuerunt. Fons inſuper, ex quô omnia bona divina promanant, atque in eorum redundant utilitatem, qui ex illâ hanc petere atque ſibi accommodare didicerunt. Atqne theſaurus omninò ditiſſimus conditoriumque opulentiſſimum eſt, ex quô remedia peti atque adhiberi poſſunt, medendi quibuscunque incommodis eorum, qui eam debitâ cum reverentiâ atque animi demiſſione legunt. Neque enim privatam cujusque interpretationem cœco impetu amplecti, ſed in eâ explicandâ ſequi par eſt conſenſum Eccleſiæ Catholicæ ac probatorum Doctorum ejus, qui veritatem Sacræ Scripturæ incorruptam ſervârunt. Qui tantô ex bonô non ſeriò ſtudent proficere, ſed ſuperbiâ inflati ſecundùm opiniones proprias atque inde exortos errores interpretari ac declarare Scripturam aggrediuntur, torquendo eam, truncando adeoque corrumpendo, nec veræ ac germanæ interpretationi fidem habere inſtituunt, novitates potius atque ineptias hæreticorum ſequentes, ii ſibi ipſis malum accerſunt, ac ſaluberrimam medicinam ſibi in venenum convertunt. Id quod hôc Emblemate, in quô herba *Adelfia*, quæ & *Oleander* vel *Nerium*, ac *Rhododendrum*, de quo Matthiolus, vocatur, depingitur, eique adſcribitur, SIC SACRÆ LITERÆ. De herba enim illa refertur, hominibus eam ſalutarem, beſtiis autem eſſe peſtiferam & virulentam.



*Scripturam ſacram ſanctè qui tractat, abundè*
*Proficit; invertens, ipſe venena legit.*

LXII.

# VERITAS.

Lumen, quod alma Veritas in ſe continet ipſa atque aliis, ut impertiat, circumfert, tantæ claritatis eſt, ut protinùs, atque illud euceſcit, tenebræ & falſitates mendaci; deprehendantur. Ac licet hoc quidem omnibus viribus eò contendat, ut veritati contradicat, atque eam extenuando deprimat, non tamen ea opprimitur, ſed potius luce ſuà mendacibus veluti ſilentium imponit, & eorum cohibet linguam. Id quod Emblemate *Ranarum*, & inſcriptione verbi, VERITAS, denotatur. Qui declarare aliis volet, ſe amicum eſſe Veritaris, atque efficaciam ejus, quæ in compeſcendô, eam non ritè colentium, ore conſiſtit, agnoſcere, uti Emblemate hôc poterit.



*Si lucem adponas, non ultrà Rana coaxat,*
*Appositô Veri lumine falsa ruunt.*

LXIII.

# FUNICULI VANITATUM.

VAnigeruli illi, qui actiones ſuas ita inſtituunt, ut vanitates ac pravas cupiditates, quæ in rebus humanis dominantur, ſequantur, texere dicuntur funiculos ac laqueos Vanitatis, tàm ſubtiles eos atque tam nullius uſus, veluti ſunt telæ, quas araneæ ſolent conficere. Ac certè, ſi res probè expenditur, inutiles omninò faſtidioſæ ac debiles ſunt, quæcunque actiones contra Legem Dei ſuſceptæ. In hoc etiam telis arenearum pejores, quòd, licèt tantæ tenuitatis ac debilitatis ſint, tamen ita vehementer irretiunt atque illaqueant textorem ſuum, ut quantascunque maximas vires adhibeat, nulla tamen ratione poſſit absque auxiliô divinô ſeſe ex tricis illis exolvere atque ex laqueis ac retibus à ſe ipsô textis expedire. Id quod Emblemate ex Lemmate, FUNICULI VANITATUM, notatur.



*Nectit ſubtiles, viles ſed aranea telas,*
*Hos vani laqueo impia turba refert.*

LXIV.

## LXIV.

# SIC UBERIUS.

MAgna est multitudo ærumnarum atque infelicitatum hujus vitæ; quas experitur, cui calamitosum per eas iter perficiendum est. Ac quantò quidem minus patientiæ huc contulerit, tantò id ei accidet gravius, nisi solatiò atque auxiliô supernaturali sublevetur. Qui itaque declarare volet, magnô se ac forti animô ærumnas ac molestias illas perferre atque agnoscere, esse eas tanquam media, quibus fructûs Virtutis uberiores excitentur ac proferantur, ostendere id poterit hôc Emblemate VITIS, cui appicta *est falx putatoria*, atque inscripta verba, SIC UBERIUS. Sicut enim Vites, ut crescant & fructificent, putandæ sunt ac pampini etiam ex parte decerpendo auferendæ; ita etiam ærumnæ atque adversitates (veluti sunt obitûs eorum, quos admodum diligimus; jacturæ rerum magni à nobis æstimatarum, intermissio persecutionis rei, cujus magnô desideriô tenemur; sunt instar falcis putatoriæ, quâ sarmenta emortua & luxuriantes pampini, qui fructûs nos convenientes ferre impediebant, amputantur. Neque omninò curanda illorum est jactura, quin potius magnô animô superanda omnis ærumna ferendo est, cum re ipsâ hoc efficiant, ut fructûs nobis magis convenientes & feramus & consequamur.




*Uberior fructus vitis, quæ ritè putatur,*
*Virtutem adversis fructificare decet.*

## LXV.

# DONEC DIES ILLUCESCAT.

FAcilis vigilanti res eſt, in utrumque oculum obdormiſcere, ſiquidem in locô obſcurô ac luce deſtitutô verſatur, cùm obſcuritas ſensûs diſſipatos colligat atque ad capeſſendam commodiùs quietem invitet, e contrà lux claritate ſuâ expergefaciat dormientem, excitet ac vivificet potentias animi, vigiliasque adjuvet. Totô, quod hôc in mundô vivimus, tempore, in meris nos verſari tenebris exiſtimandum eſt, niſi luce vivæ ac veræ fidei, (vivæ quidem cum caritate, veræ ſecundùm doctrinam Apoſtolorum) quam profitemur, illuminemur. Qui ad hunc modum vigilando noctem hujus vitæ tranſegerit, ei non poteſt non dies æternæ beatitudinis illuceſcere, Id quod *Lampade accensâ* in hôc Emblemate ac inſcriptione, DONEC DIES ILLUCESCAT, repræſentatur, doceturque, à nobis requiri, ut ardore ſanctô incenſi lucem noſtram ſpargamus fide & operibus, donec finitâ hujus vitæ nocte illuceſcat nobis dies illa, ſine nocte alterius vitæ. Nam ſicut claritate ſolis apparente, nihil opus eſt Lampade, ita fides amplius neceſſaria non eſt, niſi ut per eam ex tenebris hujus vitæ eluctemur, cùm in vitâ æterna non ſit futurum, quod credamus, verùm quod cognoſcamus ac fruamur eô, quod crediderimus.



*Sic vigilare decet, donec totum impleat Orbem*
*Et ferat æternum lux ſine nocte diem.*

LXVI.

# IRAE MALUM.

IRæ atque vindictæ mala tam enormia ſunt, & procul omni dubiô tantò major ſit damnum inferentis quàm recipientis, injuria, quantò jactura, quam anima patitur, major eſt illâ, quâ corpus afficitur. Id hôc in Emblemate, in quô *cadaver* ſeu *ruina urbis ac proſtratorum ædificiorum* depingitur, cum inſcriptione, IRAE MALUM, oſtenditur. Nam ſicut vaſtum aliquod ædificium, quod prolabitur, omne, quod ſubtùs attingit, deſtruit ac comminuit, at nec ipſum tamen ſanūm, atque integrum permanet, ſed potius tantùm non fruſtulatim confringitur; ita, qui damnum alteri infert, ipſe immunis non diſcedit, etiamſi injuriam, quam ſibi ipſi facit, non agnoſcat. Cujus rei vera cauſa eſt, quod uſque adeò cæcutimus, ut damna alia, quàm quæ corpus feriunt, non curemus, cùm tamen majora ſine comparatione ſint illa, quæ animæ infliguntur.



*Tota jacent domuum proſtrata Cadavera; tanti*
*Ira mali cauſa eſt, noxia at ipſa ſui.*

## LXVII.

# UBI CECIDERIT, IBI ERIT.

NUlla res hâc in vitâ majori nobis curæ esse debet, utpote cujus nostrâ maximè interest, quàm ut finem felicem imponamus, atque ultimum, quod in vendendo fieri solet, pretium constituamus magno illi itineri nostro, quod, cùm nascimur, auspicamur, absolvimus, cum morimur. Cui quidem rei excellentius adminiculum ac remedium nullum datur, quàm ut rectè vivere studeamus, cùm certissimum sit, talem futuram esse mortem, qualis vita peracta est. Qui sibi rei hujus gravitatem in memoriam subinde revocare volet, *Horologij*, cui machina expergiscens inest, locô uti poterit Emblemate istô *Arboris, ad cujus radicem securis apposita est, tum à parte unâ ignis ardens, ab alterâ flumen depictum conspicitur*, cum inscriptione adfixa, UBI CECIDERIT, IBI ERIT. Quæ significare intendunt, sicuti arbor excisa eô locô, quô cecidit, prostrata manet, ita & nos in eô statu, quô mors nos deprehendit, in perpetuum permansuros esse. Siquidem enim in hoc deprehendi nos continget, ut in offensâ ac malâ Dei gratiâ constituamur, certè in infernô ac cruciatu absque fine; at si in gratiâ & caritate, in gloriâ & quiete æternâ perennaturos nos esse statuendum est.



*Quô quæ excisa locô est arbor, prostrata manebit;*
*Qualis vita fuit, mors quoque talis erit.*

LXVIII.

LXVIII.

# TRIBULATIO OPTIMA.

UTilitas, quæ ex adverſis à Deo in hâc vitâ immiſſis capitur, magna eſt eam patienti animô ſuſcipientibus, atque inde ſeſe emendare cupientibus, cùm afflictiones hujus vitæ ſint inſtar tribulæ, quâ palea à granô in hâc mundi, quâ vivimus, areâ ſeparatur. Qui itaque adverſa patienter perferre, vitamque emendare ſtatuerit, eruet atque colliget grana fructumvé, quem deſideraverit. Qui verò impatientiùs lamentando ſortem incuſaverit, ac vitam potius deteriorem agere quàm emendare conſtituerit, fructûs cujuſcunque jacturam faciet, ipſe palea vilis ac nonniſi comburio inſerviens ſuperfuturus. Id quod Emblemate *Tribulæ*, cum inſcriptione, TRIBULATIO OPTIMA, indigitatur. Nam cùm ad ſeparandam à grano paleam iniquitatis noſtræ præſentiſſimum nobis remedium offeratur patientia, utique nos ipſos maximè decipimus, ſi eam ſectari negligimus, cùm certi ſimus, eam nos à Deo impetraruros eſſe, ſiquidem debitô eam modo ſolicitaverimus.



*Separat à paleis excussum tribula granum,*
*Sic animô, fructâs plus, patiente feras.*

## LXIX.

# PERNICIOSA LIBERTAS.

INgentia mala in hôc mundô inde à primâ ejus origine ad hodiernum uſque diem ex eô provenérunt, quód quidam mortalium in libertate abſolutâ atque effreni vivere contendentes, ſubjicere ſe regimini ac mandatis ullis ſive divinis ſive humanis ullâ ratione noluérunt. Ex hôc fonte damnatiò Angelorum & hominum promanavit. Qnamvis autem præteritis ſeculis in hôc ferè ſolum laboratum fuerit, ut liberè atque effrenatè affectibus indulgendo viveretur, attamen temporibus noſtris eò propter peccata noſtra deventum eſt, ut quidam non contenti libertate pro arbitrio vivendi, inſuper & licentiam affectent credendi, quæ vel ſolâ imaginatione ſuâ concipiunt. Cujus mali gravitas ex ſtatu calamitosô, in quô quædam hodie regna & provinciæ verſantur, deprehenditur. Hæc libertatis licentioſæ mala qui demonſtrare ſatagit, hôc Emblemate *Falconis per aëra volantis ac ligamen aliunde ſolutum trabentis*, cum inſcriptione, PERNICIOSA LIBERTAS, uti poterit. Nam uti Falco ligamen hôc modô trahens in majori periculô verſatur intricandi ſe in ramô, quò conſidet, unde porrò deturbatus ſuſpenſus hæret, id quod ſæpius accidit; ita homo vitiis illaqueatus, dum plus adhuc libertatis affectat, id ſectatur, quod ei minimè conducit ac graviori eum damnò mulctaturum eſt.



*Libertas non est, sed fœda licentia, si quis,*
*Ultrà quod libet, cuncta licere putat.*

LXX.

# SIC EX INSTANTIBUS AETERNITAS.

NUlla res pluris æſtimanda, aut, ut verum dicamus, magis noſtra eſt tempore, cùm tamen nullius rei, quam hujus, magis prodigi ſimus. Quod quidem non de præteritô neque de futurô accipiendum eſt, ſed ſolùm de præſenti, quô fruimur, & quod præcipuè ad uſum noſtrum transferre tenemur. Cùm id, quod præteriit, amplius noſtrum non ſit, futurum verò, an extiturum ſit, neſciamus. Unde noſtrarum partium eſt, ſolum tempus præſens apprehendere atque animó complecti, qnanquam tàm breve ſit, ut menſurari non poſſit, niſi momentô, quod ſpatium omnium, quæ mente concipi poſſunt, breviſſimum eſt. Sicut enim punctum indiviſibile eſt, cùm partes diviſibiles non habeat, ex punctis tamen, quicquid ſit, formetur linea, ita momentum, licet dividi non poſſit, magni tamen æſtimandum eſt, cùm ex momentis infinitis conſtet æternitas. Quod hôc Emblemate ſignificatur, in quô puncta & lineæ deſcribuntur, iisque axioma adſcribitur, SIC EX INSTANTIBUS AETERNITAS. Qui hoc operam dat, ut ſibi revocet in memoriam, quanti momenti res ſit, nullam præſentis temporis jacturam facere, Emblemate hòc uti poterit.



*Pars nulla est puncti, punctis sed linea constat,*
*Momenta ut perdas temporis ulla, cave.*

LXXI.

# DIVINUM JUDICIUM.

QUantæcunque ſunt hujus vitæ ſuavitates ac deliciæ rerum, quæ ſatisfacere humano deſiderio poſſunt, ac quamvis ex iis tantum quis conſecutus fuerit, quantum uſpiam deſiderare poſſit, ſive id concernat magnitudinis alicujus præ aliis excellentiam, ſive vires & potentiam, ſive delicias ac voluptates, aut ſi quidem ad culmen aliquis adſcendat omnium eorum bonorum, quæ mundus habere ac conferre poteſt; certè illud omne parvi pendet, qui aquam admiſcuerit mero voluptatum ſuarum, ac perpenderit finem atque reſiduum, omnium lautitiarum ac lætitiarum ſuarum, neceſſitatem eſſe comparendi coram judiciô divinô, in quô examinanda ac judicanda ſunt ejus opera. Ac talis quidem, hiſce omnibus ſibi ob oculos poſitis, dubiô procul circumſpectè vivet, neque deliciis hujus vitæ abutetur. Id quod contigit *illi, qui convivio tyranni adhibitus ex lautâ illâ tractatione ac deliciis attingere aliquid renuit, eò, quòd capiti ſuo ſuſpenſum tenui filô gladium imminere conſpiceret,* atque hôc Emblemate ex inſcriptione, DIVINUM JUDICIUM, exprimitur. Qui enim hoc probè obſervaverit, is rectè hominem illum imitabitur.



*Vix tangit metuitque dapes conviva, Tyranni:*
*Tu ſpernas Viam judiciumque Dei?*

LXXII.

LXXII.

# IRACUNDIA COHIBENDA.

QUamvis unumquemque hominem dedeccat facilè commoveri atque irâ exardeſcere, tum impetu primô caſtigare ac corrigere exceſſùs & perperàm admiſſa, attamen comparatione inſtitutâ deprehendetur multò majori dehoneſtamento id eſſe iis, quibus poteſtas major & Imperium commiſſa ſunt. Atque ideò talium eſt reſipiſcere, ac citò pœnitentiâ duci eorum, quæ nimiâ promtitudine decreverint ſtatuerintque. Id quod *faſcibus atque ſecuribus junctis, quæ inſigniæ Prætorum Romanorum erant*, ac præcepto, IRACUNDIAM COHIBENDAM eſſe, denotatur. Sicut enim illi tempus ſibi dari poſtulabant, quô faſces & ſecures explicarentur, atque interſtitiô illô integrum. Prætori erat, ſecum, an lictores mandata exequi expediret, perpendere; ita quoque æquum eſt, ut, antequam pœnam propoſitam executioni mandare præſumamus, ſpatium aliquod ac tempus deliberandi nobis reſervemus. Quippe hâc ratione periculum pœnitendi eorum, quæ facta nollemus, evitaturi.




*Da ſpatium pœnæ, quo Faſces tempore lictor*
*Explicat, iratum gratia fortè ſubit.*

## LXXIII.

# TALIA FECI, TALIA FACIO.

MAjori ſine dubiô laude atque exiſtimatione dignus eſt, qui Virtute ac Fortitudine principium Nobilitatis generi ſuo ac familiæ infert, quàm qui inde ab ultimâ antiquitate ac primævâ Nobilitate deſcendens ipſe eam obſcurat, dum actiones ejus pulchris ac fortibus Majorum factis non reſpondent. Quippe ille quidem principium generi ſuo, hic finem dare ſolet, dum rebus à Majoribus fortiter geſtis non inſiſtit, atque partam ac relictam ab iis Nobilitatem ſplendoremque non propagat. Qui virtuti propriæ confiſus demonſtrare voluerit, ſuô ſe Marte ad altiorem, quàm quô natus eſt, locum perveniſſe, Emblemate iſtô uti poterit, in quô *vaſa duo fictilia abaco impoſita*, cum nota, TALIA FECI, atque itidem *vaſa aurea duo*, cum inſcriptione, TALIA FACIO, conſpiciuntur. Atque illud quidem ad imitationem Agathoclis, qui cùm eſſet figuli filius, virtute ſuâ ac fortitudine hoc conſecutus eſt, ut Rex ſiciliæ crearetur, ac non minoris hanc originem ſuam æſtimans in armariis convivalis apparatûs vaſa fictilia unà cum aureis apponi curare conſuevit, atque convivis ſuis exponere, quanti faciat, meritis ſuis hoc ſe conſecutum eſſe, ut, qui vaſa prius ex argillâ fecerat, nunc ea ex aurô ut conflentur, imperare poſſit. Quô quidem factô majoris Virtutis ſpecimen, quàm in adeptô Siciliæ regnô, meô judiciô edidit.




*Quod figulina probans Agathocles non minus aurô*
*Fortunæ meminit, præmia laudis habet.*

LXXIV.

# SINE GRATIA ET SINE METU.

Quamvis difficulter inveniantur consiliarii idonei tales, qualibus opus habent Principes, ut consiliis eorum in negotiis tàm pacis quàm belli subleventur, non tamen omninò desunt tandem Viri prudentiâ atque experientia instructi, qui adhiberi possint officiis istis, cùm etiam res usq; adeô difficilis non sit, opinionem suam in negotiô sibi perspectô, ac in quô jam ante versatus est, dicere, animique sententiam declarare. At verò ista demùm res rara atque inventu difficillima semper habita fuit, Principem servitio suo invenire hominem, qui ita, uti necessitas atque honestas requirit, in rebùs atque actionibus particùlaribus ac privatis Principi consulat, sententiam nitidè absque metu offensæ aut respectu amittendæ gratiæ vel consequendi præmii aperiendo, decorumque erga Principem debitè observando; atque hâc ratione scopum attingat. In promtu esset Principibus immunes sese à molestiis, quas & ipsi recipiunt & aliis inferunt, præstare, si quidem studiosè ac multùm cum magistris sive Consiliariis mutis, Libris puta, conversarentur, legendo ea, quæ Principibus apta sunt. Cùm hi iis sine dubiô non intermissuri sint fideliter aperire, quæ eis conveniunt, neque offensam metuentes neque ab institutô propositô desistentes. Id quod hôc *Librorum* Emblemate atque additâ inscriptione, SINE GRATIA, ET SINE METU, designatur. Tales enim Principum Consiliarios esse necesse est.




*Consiliis præstant muti mirâ arte magistri,*
*Sunt rari ingeniô cum probitate Viri.*

LXXV.

# SAPIENTIS ANIMUS.

IN nullâ potius re prudentem ſe quis ac ſapientem oſtendere poteſt, quàm in tolerandis æquali prorſus animô rebus, ut ſibi invicem ſuccedere ſolent, tàm proſperis, quàm adverſis, dum ab iis vinci ſe non patitur. Quin imò eas potius tranquillitate & æquitate animi ſuperat. Id quod Emblemate *Lapidis quadrangularis* & elogio, SAPIENTIS ANIMUS, demonſtratur. Sicut enim lapis τετράγωνος, quôcunque verſetur ac jaciatur modô, ſemper ſuæ baſi inſiſtit atque in eòdem ſitu permanet, ita quoque virum ſapientem atque fortem, quicunque ei obveniat caſus, in eôdem ſtatu firmum ac conſtantem eſſe par eſt, quem nec adverſa & calamitates à ſemicta Virtutis divertere nec proſperi ſucceſſus ultrà, quàm par eſt evehere atque attollere poſſint.



*Non male quadrati lapidis modò forma notatur,*
*Constans quippe animus sic sapientis erit.*

LXXVI.

# NEQUE SUMMUM, NEQUE INFIMUM.

TAnta varietas ac vicissitudo rerum mundanarum, cui impetus ac velocitas temporis causam præbet, existit, ut antequam ad culmen pervenisse magnitudinem, potentiam aut possessionem, judicari possit, omne id subitò prostratum atque solo illisum inveniatur. Itaque omnia hujus vitæ bona meritò *Rotæ* comparari solent, quæ continuo circumvertitur, ita ut nec principium ejus nec finis deprehendi possit, nec summum nec infimum appareat, quia rapiditate cursûs sui summa imis confundit, ut sensum omnem ac judicium effugiat. Cui animus est, varietatem istam designare, uti hôc *Rotæ* Emblemate poterit ac inscriptione, NEQUE SUMMUM, NEQUE INFIMUM. Facilè enim veritas rei & quàm exiguæ durationis in eôdem statu res sint, quotquot in vitâ occurrunt, attentè consideranti apparebit.



*Qui variata Rotæ ſinuoſa volumina cernis,*
*Mundana incertô collige ſtare locô.*

LXXVII.

# ALIENUM MALUM TACENDUM.

QUi probè ſecum expenderit, quàm grave ſibi accidat, videre publicari defectûs atque errores ſuos, ut vulgo innoteſcant, nunquam certè murmuraturus aut divulgaturus eſt alienos, cùm agniturus ſit, inæqualitatem, quâ tractat rem alienam, injuſtiſſimam eſſe ac legi naturæ, quæ eâdem calculi ratione vel trutinâ ponderari illam, quà noſtram vellemus, jubet contrariam. Id quod *Canis ſagittâ icti* Symbolo atque inſcriptione, ALIENUM MALUM TACENDUM, denotatur. Nam, ſicuti Canis in crure ſagittâ vulneratus non quieſcit, donec dentibus ſuis ſagittam extrahat, ita maledicus ſe continere non poteſt, quin peccatum vel errorem alienum, qui ipſi ſuboluit, continuò manifeſtet ac deferat. Ita enim Eccleſiaſticus: Ut ſagitta infixa femori canis, ſive carni; ita ſermo in pectore Stulti. Simulatque ſermonem audiverit ſtultus, parturiet non aliter, quàm gravida premente fœtu.



*Hujus imago viri est, qui non sua lividus urget*
*Crimina (crede mihi!) saucius iste canis.*

## LXXVIII.

# VICTI NON VICTORES

PRout ſuperbia atque arrogantia hominum magna eſt, ita difficulter admodùm reperitur, qui bonâ cùm gratiâ ac decorô cedere velit atque partes potiores deferre alterí. Nihilominus tamen multæ omninò ac manifeſtæ dantur prærogativæ, in quibus fieri non poteſt, quin unus recognoſcat alterum, eique primas concedat, tâm in bonis fortunæ quàm naturæ. Ut itaque aliquis ſe ipſum victum fateatur ac judicium ſuum eò uſque ſubmittat, ut credat ea, quæ captum rationis naturalis ſuperant, opus eſt lumine fidei ſupernaturali illuſtrante, ſine quô fieri id nequaquam poteſt. Id quod nos Emblema *Coronæ* cum inſcriptione, VICTI NON VICTORES, docet. Nam, ſicuti in exercitiis atque Certaminibus humanis coronantur Victores, ita econtra in rebus divinis non coronantur, niſi illi, qui tanquam Victi deditionem ſui faciunt, atque intellectum captivantes obediunt, faciuntque id, quod viva ac vera fides eos docet.



*Præmia victori vulgò, ſed lege Potentis*
*Numinis hîc victo vera Corona datur.*

LXXIX.

# INGRATITUDINE PEREO.

VItium, quod in aliis maximè abhorreſcimus, Ingratitudo eſt, cùm uſque adeò unuſquiſque meritò indignetur, ſi quidem beneficia, quæ aliis confert, gratò animô non agnoſci experitur. Nihilominus tamen, quantum uſque vituperii in ingratos congeratur ac contra fœdiſſimum hoc malorum declametur, non deſinunt plurimi vitiô illô eſſe inquinati. Cujus rei culpam non tantùm illi ſuſtinent, qui, cùm præmia ac beneficia accepérunt, gratiam debitam non rependunt, verùm etiam ii, qui beneficia conferunt, ſi quando accuratam rationem ac modum non habent devinciendi accipientem, ut conducibile adeoque gratum ei poſſit eſſe beneficium. Nam qui illud dat, quod prætermittere non poteſt, quin det; atque in tantum etiam, quantum poteſt, differt, neque opportunô dat tempore, inſuper ſe in tantum rogari ſinit, ut magis importunitate victus, quàm merâ voluntate id videatur concedere, ſanè non habet quòd miretur, paucos gratô animô collatum in ſe beneficium agnoſcere, ſiquidem principalis obligandi ratio aut modus, qui in bonâ benefactoris voluntate conſiſtit, defecerit. Quicquid tamen illorum ſit, certè ingratitudo vitium eſt longé fœdiſſimum maximeque nobis fugiendum. Id quod Emblema indicat *Arboris exuctæ atque hederæ virentis*, cum nota, INGRATITUDINE PEREO. Sicuti enim arbor juſtam de hederâ, quam ipſa ſuſtinuit, eique incrementa ſuppeditavit, hæc verò ei cauſa mortis extitit, conquerendi cauſam habet, ita quoque is, cui mala pro collatô beneficiô gratia rependitur, jure contrà ingratos agere poſſe videtur.



*Perdere ſervantem res eſt fœdiſſima dictu,*
*Deque domo ingrati non abit omne malum.*

LXXX.

# CITO NATA CITO PEREUNT

SIquidem perpendatur, quàm brevis ſint durationis & quàm omninò celeriter finiantur quæcunque vitæ hujus tantoperè deſiderata bona, pulchritudo nimirum, vires, potentia, magnitudo, Imperium, dominatus, favor, interior apud Principes admiſſio ac familiaritas, tùm omne id, quod maximè in votis unicuique eſt, atque ſi his omnibus adjungatur ipſius, quæ omnia antecellit, vitæ conſideratio; apparet, nulli rei melius omnia iſta comparari poſſe, quàm tuguriolo hederâ, quæ nocte unâ nata, alterâ emortua eſt, ac prophetæ Jonæ occaſio quærelæ exſtitit, cooperto, cum inſcriptione, CITO NATA CITO PEREUNT. Quibus quidem benè perpenſis, cauſam conquerendi juſtam non habemus, ſi iſtorum aliquid nobis intercidit aut perit, cùm non aliâ conditione nobis omnia hujus vitæ bona mortalia conceſſa ſint.



*Quæ ſunt nata citò, mox ipſa perire neceſſe eſt;*
*Nos querulus Jonas iſta docere poteſt.*

LXXXI.

# USQUE DUM LICEAT.

VIr prudens atque cordatus, animadvertens, ſibi occaſionem ad perficiendum, quod intendit ac deſiderat, deficere, ſubſiſtit paulùm & veluti ſecum comiter habitat, diſſimulatque, donec tempus appropinquet, quô exiſtimat obtinere ſe poſſe, quæ intendit, ac quidem tempore ipsô providè ac ſapienter utens voti tandem potitus, quæ deſideraverit, aſſequitur. Qui ſignificare volet, ſperare ſe meliora aggrediendi, quæ ſibi propoſuit, tempora, uſui ſuo applicare poterit Emblema, quô repræſentatur *Avis Novæ Hiſpaniæ, quam Dormitorem appellant, quæ per totum Octobris menſem arbori in apricô inſidens continuò dormit, atque in hôc ſtatu permanet, donec Aprili menſe adveniente ac floribus agri effloreſcentibus excitatur.* Cui Emblemati adſcribuntur verba, USQUE DUM LICEAT. Quibus docemur, ſicut avis iſta, uſque dum flores, quibus alitur ac ſuſtentatur, proveniant, dormire ſolet, ita occaſionem exequendi deſtinata expectandam eſſe.



*Ut Dormitor avis florum nova tempora ſpectat;*
*Sic expectando diſſimulare licet.*

## LXXXII.

# INGRATOS NATURA ABHORRET.

NOn ſolùm Deo atque hominibus abominationi homo ingratus eſt, qui contrà, quàm ad demerendum, quod accepit, beneficium obſtrictus eſt, perſequitur malèque tractat benefactorem ſuum; ſed & natura ipſa, tanquam læſa, tanto malo non indulget, quin potius ut vindicta de eô ſumatur, præſtare ſolet auxilia. Prout id hoc Symbolo oſtenditur, in quo *depictus jacet Crocodilus, quales in India Occidentali reperiuntur, ac de quibus refertur, ſolere eos in ripis fluminum rictu apertô veluti dormientes jacere, atque aviculam quandam coloris albi, paulò minorem turdô, cui Trochili nomen eſt, rictum ingredi, & carunculas Crocodilo inter dentes atque gingivas hærentes depaſci; Sic rictum Crocodili purgare, quô Crocodilus impensè delectetur. Attamen ut gratiam Trochilo Crocodilus rependat, ſolere, ut Trochilum deglutiat, rictum claudere; Trochilum viciſſim, ut ſe defendat, acutô, quod in capite, locò Criſtæ, geſtat, oſsiculô palatum Crocodili fodiendo tamdiu laceſſere, dum os Crocodilus aperiat, atque hâc ratione aviculæ copiam avolandi faciat, quô conſpectô Ichneumonem ori aperto Crobodili irruere, deſcendentemq; in ilia, inteſtina Crocodili erodere.* Quibus adſcribitur, INGRATOS NATURA ABHORRET Hæc enim ſolers ac provida mater, Natura, minutiſſimis etiam animalculis contrà vaſtiſſima animalia arma ſuppeditat.



*Fallentis Trochili Crocodilum fabula monſtrat,*
*Fortunam ingrati ſic variare vices.*

## LXXXIII.

# NON SINE IGNE.

LIcet actiones Principum atque Magnatum in sè utiles ſint ac neceſſariæ, niſi eô tamen Virtutis ardore atque exiſtimatione, quæ requiritur, ſuſcipiantur, tàm parùm proficent, quàm opera absque caritate & amore Dei, qui ſolus actiones dirigit, iisque robur ac pondus confert, facta. Hoc deſignatur Emblemate, in quô *Ara & ignis ad ſacrificium per gindum accenſus conſpicitur*, *cùm ex ſententia antiquorum nullum ſacrificium Deo absque igne poſſit eſſe acceptum*, quod & inſcriptio, NON SINE IGNE, notat. Sicuti enim antiquitas credidit, nullum ſacrificium, quod igne non conſumatur, gratum poſſe eſſe Divino Numini, ita neque bona opera absque Caritate facta ullius valoris, reſpectu ad æternitatem habitô, aut pretii ſunt, neque politicæ Principum actiones, ita, uti par eſt, magni fieri poſſunt, ſi virtutis ac fortitudinis requiſitæ Zelò fuerint deſtitutæ. Hic enim actionibus ſuum eſſe confert, atque efficit, ut non ſolùm actiones excelſæ atque opera Heroica debitè æſtimentur, ac magnæ utilitati cedant, ſed etiam actionibus communibus ſuum pretium conſtituatur, ſi quidem ab eò profectæ fuerint, qui ſtrenuitate ſuà opinionem Virtutis eſt conſecutus.



*Præcipuum in Sacris ardens est ignis, amore*
*Si vacuum est pectus, victima nulla litat.*

LXXXIV.

LXXXIV.

# MAGNOS VANA TERRENT

PRudentiſſima Naturæ ſolertia ordine tàm accuratô res ſuas diſpoſuit, ut quamvis neceſſe habuerit, uni Creaturæ plus donorum conferre quàm alteri, ita tamen omnia mutuò compenſaverit, ut ſi probè omnia inſpiciantur, nulla res tàm exilis ſit, quæ non in aliquô rem vel maximam antecellat, neque aliquid tàm invalidum, quod res magnæ non reſpiciant, ac periculum pœnamque à minimis non metuant. Sicut id hôc Emblemate *Leonis* ex primitur, *quem ignem admodùm metuere ac fugere ſcribunt*, atque inſcriptione , MAGNOS VANA TERRENT, explicatur. Hâc inde doctrinâ reſultante, quód, ſicuti Leonem, quamvis animal tàm forte ac ferox, quod reliqua animalia omnia metuunt fugiuntque, ignis, quanquam nocere ei non valeat, perterrefacere, ac conſternatum in fugam agere poteſt, ita nullum unquam in vitâ extitiſſe quantæcunque Potentiæ ac Magnitudinis hominem, qui non ſuſpicionibus ſuis ac timoribus agitaretur, ac qui non ſolùm ea, quæ in effectu ei nocere poterant , timuerit , ſed cui non vel imaginatio ac ſtrepitus ſolicitudinem multam incuſſerit, moleſtiamque magnam ſuſcitaverit.



*Magnanimum flammæ possunt terrere Leonem;*
*Non est, cui exitium non sit ab invalido.*

LXXXV.

# VERITATIS INVENTOR.

QUanquam magnæ fuerint multorum moleſtiæ ac Calamitates, quas propter profeſſionem ac defenſionem Veritatis in hâc vita ſuſtinuérunt, adeò ut eos quaſi ad incitas & ultimam exitii lineam mala illa redegerint; attamen non ideò vel latum unguem à Veritate nos diſcedere, aut ſigna ejus deſerere par eſt, ſed pro certô habere, neque eam neque ſectatores ejus unquam eſſe perituros. Ac licet non minus conſtet, Adverſariam Veritatis, Mendacium, tàm potentem eſſe, ut eam aliquando in fugam vertat, atque in angulum quendam veluti compingat, non ideò tamen de Veritate actum eſt, cùm amicum habeat ſingularem, *Tempus*, qui ei ferens ſuppetias detegit falſum, atque Veritatem triumphantem producit in lucem. Id quod hôc Emblemate *Serpentis caudam extremam ore continentis*, *qui Symbolum Temporis eſt*, atque inſcriptione, VERITATIS INVENTOR, exprimitur.



*Inventor veri, Tempus, mendacia vincit,*
*Dum ſocio præſtat fidus amicus opem.*

LXXXVI.

# NON RENOVANDUM.

LIcet ſummô cum honore ac gloriâ quis inimicitias ac contentiones, quas cum adverſariô exercuit, finiverit, nullâ tamen omninò de causâ ad eas renovandas reverti debet, ſi quidem pace ſemel initâ ritè compoſitæ fuerint. Non ſolùm autem occaſionem novis offenſis ac faſtidiis dare non debet, ſed etiam veterum ſimultatum non recordari, quin imò oblivioni tradere etiam ea, quæ ipſi, ut victori, ex votô ſucceſsérunt. Atque hoc eſt, quod Emblemate intenditur *Trophæum* referente, Symbolô quô Antiqui *Victoriam* repræſentárunt, cum inſcriptione, NON RENOVANDUM. Nam, ſicuti apud Græcos laudabile non habebatur, renovare Trophæa, aut ea ex lapide conſtruere, vel ære ſtatuere, ſed potius ex ipſis armorum ſpoliis ab hoſte ex pugnâ cum laude reportatis adornare, quòd hæc ipsô temporis decurſu facilè conſumerentur, ſecundùm ea, quæ à Plutarcho referuntur: Ita in hoc laborandum eſt, ut tandem oblivioni tradantur inimicitiæ, quamvis ſingulari cum honore & commodô conſopitæ. Contrariam quippe viam inſiſtere, neque animi Chriſtiani, neque hominis eſt Virtute ac Fortitudine præditi.




*Græcia cùm ſapiens renovanda Trophæa negavit,*
*Mortales Lites, ſanxit, habere breves.*

LXXXVII.

# BREVIORA LUCIDIORA.

RES est certa, quæ & in ordinariô Naturæ cursu animadvertitur, quantò major est conflictus, & pugna rerum inter se naturalium, tantò majores unamquamque pro parte suâ ad resistendum vires exercere, utque qualitatem sibi contrariam vincat, contendere. Sic, quantò aër intensior est, tantò magis ignis accenditur, ac quantò frigus super terram vehementiùs, tantò magis calor in cavernis ac puteis infrà terram contractus intenditur. Sic etiam videmus candelam, quantò propiùs ad finem luminis sui absumta pervenit, tantò plus lucis ac claritatis spargere, ac quantum potest, contendere, ut consumat ac vincat adversarium suum, qui materia illa est, quæ ardendo consumitur. Qui se ipsum excitare velit, ut, quò propiùs ad finem suæ vitæ accesserit, tantò magis actionibus Virtutis emineat splendeatque, in usum suum convertere poterit hoc *Candelæ finientis* Emblema, atque inscriptionem, BREVIORA LUCIDIORA. Cujus Emblematis sensus est, quantò res fini suo propiores sunt, tantò majori splendore effulgere debere.




*Adspicis ut moriens majori luce refulget*
*Lumen; sic Virtus ultima major erit.*

LXXXVIII.

LXXXVIII.

# VERITATI NIHIL DIFFICILE.

Usque adeò grata & amica Deo Veritas est, de quô ipsô sectatores ejus habent, quòd glorientur, ut, quò majori eam honore dignaretur, nomen ejus sibi assumere ac se Veritatem ipsam appellare voluerit. Inde non solùm eam in Sacrâ scripturâ suâ defendit ac propugnat, sed etiam, si quando opus fuit, res prorsùs admirabiles, & extra ordinarium naturæ cursum positas ad confirmationem ejus fieri permisit. Quod contigisse dicitur Tarquinii Romanorum regis tempore, quô *Actius Nævius augur Növaculâ lapidem molarem dissecuit, ut veritas, quam edixerat, confirmaretur.* Id, quod Emblemate Lapidis molaris, quem Növacula incidit, atque inscriptione, VERITATI NIHIL DIFFICILE, adumbratur. Quæ quidem Canditatus atque amicus Veritatis, si videbitur, ad usum transferre poterit.



*Iſta molæ lapidem depicta novacula ſcindit,*
*Verè dictorum teſtis ut eſſe queat.*

LXXXIX.

# SIC NUTRIUNTUR FORTES.

VIri ſtrenui ac fortes non ſolum in rebus ac ſucceſſibus proſperis Virtute ſuâ uti ſciunt, verùm etiam ex maximis adverſitatibus ac calamitatibus ſuis utilitatem ſingularem capere, dum eô animô ac ratione illas ſuperant, ut crebris actibus egregiis habitum acquirant, in quô Virtus conſiſtit. Quem cùm comparavérunt, tùm iis tàm leves ac ſuaves illæ ipſæ moleſtiæ eſſe videntur, ut virtute ſuâ ſe involventes, unà cum illis ſe ſuſtineant ac conſervent. Id, quod Emblemate *Avis ſtruthionis ferrum ore mandentis*, cum inſcriptione, SIC NUTRIUNTUR FORTES, denotatur, doceturque; Sicut Avis illa tantô calore ſtomachi ac tantâ ſpirituum vehementiâ prædita eſt, ut digerere ac nutrire ſe ferrô & lapidibus poſſit; ita & Viros fortes & magnò animô præditos ſuſtentare ſe debere atque utilitatem capere ex adverſis, quamvis maximè duris atque acerbis:



*Digerit ardenti ſtomachô ſic ſtruthio ferrum,*
*Virtuti adverſæ res cibus eſſe ſolent.*

XC.

# EXPECTO DONEC VENIAT.

MAgno ſolatio calamitoſis eſſe ſolet ſpes non duraturæ diu calamitatis ſuæ, atque brevi interventuræ, quam cum deſiderio expectat, felicitatis ac quietis. Hâc bonâ cum ſpe faciliùs ſuperantur ac tranſeunt iſtæ rerum adverſarum nubeculæ. Oſtendi hoc poteſt Emblemate *Cicadæ*, cui adſcripta ſunt verba, EXPECTO DONEC VENIAT. Sicut enim Cicada non proſilit aut movetur, priusquàm vernum tempus apparuerit; ita, cui adverſa accidunt, expectat, donec hyems cum tempeſtatibus ac procellis ſuis, quæ calamitates denotant, tranſeat, bonâ ſpe fretus, rediturum eſſe mox cum floribus ac fructibus ſuis vernum tempus, quô quies animi ac deſiderii plenitudo ſignificatur.




*Auspicium expectat veris pro more Cicada,*
*Sic quoque sint fidei tempora certa tuæ.*

## XCI.

# INTERNA SUAVISSIMA.

Suavis admodùm ac placabilis res Musica est cultoribus suis, qui eam singulari affectu prosequuntur. Ea in vocum ac sonorum concordantiâ atque harmoniâ consistit. Quamvis autem ex rebus contrariis & plurimùm differentibus, uti sunt voces acutæ & graves, elatæ ac depressæ, composita sit, non ideò tamen desinunt illæ, magnâ voluptate aures afficere, si quidem mensuram ac proportionem accuratè servando consonantiam suavem efformant. Cæterùm, quàm grata uspiam ac suavis Musica exterior esse possit, interior tamen illâ dubiô procùl multò est præstantior. Ac consistit hæc in efficiendo, ut affectûs atque appetitûs nostri, quamvis inter se admodùm contrarii, proportionem ac mensuram à ratione præceptam servent, cùm hæc vera ac genuina sit interior consonantia atque harmonia tantoperè Deo Opt. Max. accepta, tàm suavis insuper & proficua iis qui eam in sese experiuntur. Id quod hôc Emblemate *Chelydis, instrumenti musici, quod Reginæ nomine nobilitatur*, atque inscriptione, INTERNA SUAVISSIMA, denotatur.



*Musica noster amor, rerum placidissima concors*
*Harmonia; at præstant interiora sonis.*

## XCII.

# INCURSIONIBUS SOLIDATUR.

EXercitatos, ad labores factos, atque exercitiis corporis adſuetos homines, dubium non eſt, ſaniores ac robuſtiores eſſe iis, qui in delitiis educati in otiô vivunt. Eadem animi noſtri conditio eſt, ſi tolerandis laboribus atque ærumnis aſſuefactus fuerit. Quod Emblemate *Arboris à ventis impugnatæ*, & inſcriptione, INCURSIONIBUS SOLIDATUR, oſtenditur. Sicut enim editiori locô poſita Arbor atque à ventis agitata ſolidiores radices agit, atque ipſa firmior redditur illis, quæ in vallibus ac locis depreſſioribus educantur, minusque vim procellarum ſentiunt; ita animus calamitatibus atque moleſtiis exercitus firmior evadet, ac conſtantior ad reſiſtendum vincendasque, quantæcunque fuerint, adverſitates, quàm qui iis perferendis ſuperandiſque, non aſſuevit.



*Horrendi intentent quamvis fera prælia venti,*
*Virtutis quassæ firmior arbor erit.*

## XCIII.

# SUPERBIA MANSUETUDINE SUPERATUR.

HOmo elati atque arrogantis animi vinci ſe non patitur ab alio æque ſuperbô atque arrogante. Tales duo inter ſe concertant ac digladiantur, dum quisque ſyrma ſuæ factionis ac Clientum trahit, ac neuter alterum in re ullâ, ut ei aliquid deferat, recognoſcit. Quod unum ſuperare eos ac divertere poteſt, Humile quid eſt ac manſuetum, quod illis locum non concedit, ut factionibus atque æmulationibus ſuis altius ſeſe extollant, atque ipſum potius humiliando, ſe ac pedibus illorum ſubjiciendo, viciſſimque pedes illorum ſuis propriis, ut aſperitatem illorum molliat, veluti inſerendo, qui mos inſtanter agentium vel ſupplicantium eſt, illorum confundit ac vincit arrogantiam. Id quod hôc Emblemate *Elephantis & Agni*, atque adſcriptâ ſententiâ, SUPERBIA MANSUETUDINE VINCITUR, exprimitur. De Elephante enim ſcribunt naturalium rerum ſcriptores, nihil eos magis domare ac manſuefacere, quàm agnos, quos etiam fugiunt, ſicuti de Elephantibus Pyrrhi regis Epirotarum refertur, quibus Romani in bellô, quod cum eo geſſérunt, ſingulari hôc Stratagemate uſi, agnos oppoſuérunt, atque hâc ratione illos fugarunt, prælioque ſuperiores victoriâ potiti ſunt.



*Vincit mansueti Virtus, Elephasque superbus*
*Agnô conspectô desinit esse ferox.*

XCIV.

# FORTITER OCCUPA PORTUM.

NAuta bonus atque expertus, ſicubi iter longum ingreſſus, opinione diutiùs in illô detinetur, aſpirantes de cæterô venti tempus ipſi ac ſpatium largiuntur, ut portum aliquem eligere atque in eum ſeſe poſſit recipere; occaſionem minimè negligit, ſed ut portum teneat, operam dat. Quòd ſi ventus, veluti tenax, minùs ac minùs ei faveat, contrarieturque magis, quàm ut ſecundet, attractis funiculis, veliſque obliquatis, omni conatu ventum captare ſtudet, laboratque, ut portum denique ingrediatur. Idem viro prudenti ac cordato faciendum incumbit, ut ſicubi ſe jam diu navigare, nec deſpicere poſſe, animadvertit, quem ſucceſſum ſua habitura ſit navigatio (vita autem, quam vivimus, navigatio eſt) quò pericula & tempeſtates, quæ in mari hujus mundi atque occupationibus ejus oriuntur, vitet, portum quendam quærat atque ingrediatur, in quô cum quiete & tranquillitate itineri ſuo finem imponere poſſit, cùm in hôc quidem exitu ſumma rei poſita ſit. Qui ex hôc monitô utilitatem capere velit, applicet ſibi Emblema iſtud *Navis portum feliciter ingredientis*, cum illô Horatii. FORTITER OCCUPA PORTUM. Quippe hoc ipſum præſtare, ſignum atque experimentum eſt ſummæ Prudentiæ atque Fortitudinis.



*Strenuus, ut portum teneat modò, nauta laborat,*
*Sic ſapiens vitæ deproperabit iter.*

XCV.

# CELSA GRAVIORE CASU DECIDUNT.

RES frequens ac consueta quibuscunque mortalibus, & laborare, atque invigilare, ut ad altissimum eminentissimumque statum perveniant. Ad quod desiderium eos elevat ducitque, ut in re aliâ nullâ, quâm hâc sibi propositâ acquiescere possint, quippe cùm in hôc solô quietem summumque Bonum invenire se posse existiment. Cùm verò desideria ac vota hominum maximam partem usque adeò vana ac levia sint, rarò admodùm contingit, ut iis potiantur. Ac positô, adscendisse quempiam culmen istud, quàm facilis inde descensus atque deturbatio est, cùm eò majora pericula, quò celsior status est, ingruere soleant. Id quod Emblemate *Turris, quam fulmen ferit*, ac versu Horatii: CELSA GRAVIORE CASU DECIDUNT, adscriptô denotatur. Tutiùs itaque, atque utiliùs est, unumquemque sorte suâ contentum, in eô, quô natus est, statu permanere, cùm hoc facientem nemo non laudaturus sit tanquam optimè callentem rationem officii sui, ipse autem vitam certiori in quiete ac majori cum voluptâte transmissurus.



*Celſa cadunt graviùs; quis tanta cacumina votis*
*Ambiat, ex altô ut turpiùs inderuat?*

XCVI.

# XCVI.

# A MINIMIS QUOQUE CAVENDUM.

NOn tantùm res magnæ propoſitam ac initam viam impedire atque intricare ſolent, verùm etiam vel minima quandoque obſtacula iter inſtitutum maximè remorari. Dum enim tàm facilè non animadvertuntur, implicant magis atque interturbant eum, qui maximè ex votô ſe iter putat conficere. Idem accidit iis, qui viam inſiſtunt Virtutis, ut, quamvis maximè caveant, ne in peccata gravia incidant, errata quædam, quæ ipſis levia videntur & à quibus minimê ſibi cavent, eos in via detineant, neque progredi atque ad deſideratum perfectionis gradum pervenire permittant. Hoc Emblemate *Navis* deſignatur, *cujus proræ piſculus, cui nomen Remoræ vel Echeneidis inditum eſt, adhæret*, adſcriptumque eſt, A MINIMIS QUOQUE CAVENDUM. Exilia enim ſunt, quæ nos in inſtitutô itinere impediunt ac remorantur, ſicuti de piſciculô illô refertur, quòd, quamvis minutus admodùm ſit, virtute tamen ſuâ occultâ navem quantamcunque, plenis quamvis velis ſecundisque ventis procurrentem, inhibere ac detinere poſſit.



*Pisciculus tenuis, magnis sed navibus, obstat,*
*Et minima in magnis esse cavenda docet.*

XCVII.

# NIHIL ALIUD SUPEREST.

MUndum contemnere, parvique æstimare omnia, quæ eô continentur, non tantùm Sacræ nos docent Literæ, sed & profanæ. Ac si rem sine affectu consideremus, id, quod edicit, docetque nos rerum mundanarum contemtum, Mundus est ipse. Consideremus attentè præmium ac mercedem, quam dat iis, qui se maximè ei addicunt, in eôque fiduciam collocant, quos maximè elevat atque attollit. Nam etiamsi aliquibus in hâc vitâ conferat amplissima Regna ac dominia, faciendo eos Monarchas majoris partis terræ, atque ut nomina eorum venerationi sint, iisque ab Oriente ad occidentem usque præstetur obsequium, ad ultimum tamen & ad rei summam ex tantâ magnitudine non plus terræ iis relinquit, quàm ubi angustissimè in tristi sepulturâ cubare possint. Ac quod ipsi quidem solùm ex omnibus thesauris atque divitijs secum auferunt, supellex tàm exilis atque vile est Lineum. Hoc cùm intelligeret felix ac fortis ille *Saladinus Rex Ægypti, cui tàm prosperè omnia in Vitâ successérunt, moriens mandavit, ut in funere suô indusium hastæ longiori imponeretur, ac, qui hastam gestaret, altâ voce exclamaret, solum illud sibi ex tantô Imperiô, & quas possederat, divitiis relictum esse.* Id quod hôc Emblemate atque inscriptione, NIHIL ALIUD SUPEREST, refertur.



*Pro cunctis opibus, pro Majestate verendâ,*
*Hoc superest unum, cætera mortis erant.*

## XCVIII.

# HUMANARUM RERUM CONTEMTUS.

Licet meritò credamus iis, qui nobis rerum terrenarum contemtum inculcant ſuadentque, eò, quòd & ipſi hoc præſtiterint, mundum contemſerint, parvi omnia ejus magnalia æſtimaverint, ac ſe ipſos ſponte ſuâ ac propriâ voluntate deliciis, quas mundus ſuppeditat, privaverint; attamen ego in eâ ſum ſententiâ, non minùs nos movere poſſe exempla illorum, qui, poſtquàm ſe omnibus deliciis ac voluptatibus mundi immerſérunt, dolum nobis deinde detegunt ac certos nos reddunt, omnia Mundi eſſe vanitatem. Id quod Emblema *Sepulturæ Sardanapali, cui ſtatua ejus manum elevantis, ac talitrô digitorum duorum, omnia ſe nec tanti æſtimare, ſecundùm Athenæum, indicantis impoſita eſt*, atque inſcriptio, HUMANARUM RERUM CONTEMTUS, repræſentat. Hoc ſcilicet Epitaphium vita tàm vitioſa, qualis Sardanapali fuit, merebatur, innuens, omnia, quæ tanti in hâc vitâ æſtimantur, ne talitrô quidem digna eſſe, cùm appareat, quid de iis Sardanapalus, poſtquam jam abundè omnibus mundi deliciis exatiatus fuit, ſtatuerit.




*Omnia ſunt hominum crepitacula vana putanda,*
*Conditus exemplo hîc Sardanapalus erit.*

XCIX.

# RES EST MAGNA TACERE.

MAgna Virtus tacere eſt. Cæterùm, cùm ſermo res ſit tàm utilis, atque neceſſaria hominibus, quâ nimirùm à beſtiis differunt, iisque antecellunt, videri poſſit, quantò quis plus loquendo proferat, tantò eum eſſe majori ratione præditum. Attamen, non ita ſe res habet, atque contrarium potiùs verum eſt, cùm in nullâ re minùs ſe ratione regi, oſtendant homines, quàm in multi loquiô àc ſermone ſuperfluô. Ac licet labore multô conſtet Eloquentia, ſine dubiô tamen res magis difficilis eſt, ſcientiam tacendi comparare. Id quod Emblema *Tantali* deſignat, *cui pro mercede loquacitatis pœna impoſita fuit, ut aqua oretenùs immerſus bibere eam non poſſet, neque proximè ſibi appoſita poma guſtare*, atque Emblemati illud Martialis adſcriptum legitur: RES EST MAGNA TACERE. Quippe ſæpius accidit, ut qui nimiùm deblateraverat, exciderit bonis illis, quæ ei opinione æque omnium propinqua erant, ac fructûs & aqua ori Tantali fuerunt. Quam fabulam, utpote vulgò notam, recitandam hîc non exiſtimavimus.



*Si tacitus vesci potuisset Tantalus, undis*
*Nec captare cibum nec teneretur aquas.*

C.

# HOMINEM TE ESSE COGITA.

NUlla res homini Christiano magis necessaria atque utili est, quàm sui ipsius cognitio. Si enim se ipsum cognoscit, minimè superbiet; cùm videat, se pulverem ess atque cinerem, tùm nec magni æstimabit ea, quæ in mund sunt, dum quàm citissimè hæc sibi derelinquenda esse animad vertit. Hoc sibi ob oculos assiduè ponere, remedium opti mum est incuriositatis ac neglectûs officii, quod qui observa quietè vitam transiget, agnoscens calamitates sibi obveniente meritum se esse, quas patienter feret, neque eum prospera ni miùm attollent, dum nullô suô meritô ea sibi contingere con fitebitur. Hanc cognitionem Antiqui, licet verâ fide destitut tanti ad conservandam Virtutem fecérunt, ut de Magnô illô Phi lippô, Rege Macedoniæ, referatur, postquam in pugnâ ad Che romeam Athenienses devicisset, ne hâc gloriâ ultrà, quàm pa est, efferretur, atque insolesceret, in mandatis eum ministri suis dedisse, ut quôvis mane, cùm eum ex somnô excitassent primùm omnium rerum hæc ei verba inculcarent; Surge Re & hominem te esse memento. Res digna omninò, quæ per petuò memoriæ infigatur. Atque id est, quod ultimô hô *Mortis* Emblemate atque adscriptô monitô, HOMINEM T ESSE COGITA, insignitur.




*Quanquam victor ovas, mortalem te esse memento:*
*Destrue, vince Orbem; Denique talis eris.*

Rebacked by N. Abrams - E.N. Oct. 1970.

· Lisa & Leonard Baskin ·